





DE  
**CANTHARIDIBVS** 5.  
PROSPERAE ADVERSAEQUE AVCTORI-  
BVS VALETVDINIS

PRAESIDE  
**CHRISTIANO GOTTFRIED**  
**STENTZELIO**  
ARTIS SALVTARIS AC PHILOSOPHIAE DOCTORE  
CHIRVRGIAE ET PATHOLOGIAE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO

DIE IX. NOVEMBRIS. AO. CICIO CC XL

**PRO LICENTIA**

SVMMOS IN MEDICINA IMPETRANDI  
HONORES ET PRIVILEGIA

DISPV TABIT

**IO. GEORGIVS HERRMANNVS**  
MED. CANDIDATVS.



VITEMBERGAE  
EX OFFICINA EICHSFELDIANA  
ACADEMIAE A TYPIS.







DE CANTHARIDIBVS  
PROSPERAE ADVERSAEQVE AVCTO-  
RIBVS VALETVDINIS.

I.

**D**estabatur olim, quinimo execratur ad-  
huc, horreque, horribiles, magna, qua-  
mias nihil tum erat, Roma, Romanorum,  
quos Romanae, Romanis priscis  
indignissimae, a prisca maiorum suarum  
fide, sinceritate, castitate, ceterisque vir-  
tutibus alienissimae coniuges, uenenis, hunc in finem  
praeparatis, datisque, e medio sustulerant, Principum,  
Optimatumque, neces, & strages. Veneficii quaestio, in-  
quit **VALERIVS**, (a) & moribus, & legibus Romanis  
ignota, complurium matronarum patefacto scelere, orta  
est; quae, cum uiros suos clandestinis insidiis ueneno peri-

A me-

(a) Dicitis factisque memorabilibus, cum Lipsii notis, in 12mo, Am-  
stelodami, 1647. ed. lib. 2. cap. 5. exempl. 3. p. 67.

merent, unius ancillae indicio protractae; pars capitali iudicio damnatarum, centum septuaginta numerum expluerunt. Abominabatur peraeque, ac damnabat, florens Roma, Romani interitum Equitis, Cossini, ampla & intima Neroni amicitia deuincti, aetate, opibus, honoribus beati, & florentis, qui, lichene, ut uocant, peculiari, & Aegyptiis tunc familiari, & quasi proprio morbo laborans, imprudenti, prudentibus abominando medicis, cantharidum potu, quem, teste PLINIO, (b) Aegyptius medicus, quid dico, medicus? medicinae prostibulum, auersum a ratione, & inimicissimum mentis, praescripsérat, praematura violentaque abreptus fuit morte. Deplorant & hodie infensa, quae genuini artis salutaris cultores, cum huiusmodi hominibus, a solido & rationali medicinae studio alienissimis, atque in perpetuum eiusdem dedecus atque opprobrium natis, inconsulte ac temere permixti & confusi, tulerunt, sustinuerunt, fata, fatorumque & seruitutis onera, adeo tristi, adeo dura, ac tanta iniuriarum ui, impetuque, sociata, ut boni peraeque malique artifices, tanquam reformidanda artis nefandae, & mortalium saluti officientis, simulacra, e ciuitate, ciuitatum omnium tum regina, reiecti relegatique fuerint. Quis pessimum pessimi hominis facinus excusabit? Sed, quis, uitium, huiusmodi imputandum nebuloni, ipsi arti salutari, uerisque ac sedulis illius studiosis & fautoribus, irrogabit? Peccauit hic omnino medicus, medici solum superbiens nomine, eoque plane indignus; medicina vero, omnis tum criminis tum culpae expers deprehenditur. Peccauit sane, quod nemo inficias ibit, homo, ex Aegypto, per Neronom, Caesarem, Christianae pestem Religionis, in humani perniciem generis natum, uocatus, accersitus, qui, medici larua usus, hospes in rebus, ad usum medicum prudenter & cum iudicio applicandis, notas ignorando uires remediorum, remedia saluberrima, in perni-

(b) Histor. Natur. edit. Frobeniana, in folio, lib. 29. cap. 4. p. 526.

perniciosissima commutauit uenena. Minus sufficientem, minusque iustam inuenio rationem, alium prorsus Plinianae sententiae, admodum perspicuae, & distinctae, sensum affingendi, eoque, conjectura, ingeniose excoigitata, procedendi, ut LANGII (c) auctoritate motus, uictus, Plinium, non re, sed uerbis, refutantis, suspicer, ut idem scribit: Cossinum potius, externa cantharidum applicatione, quae, sua uirtute cauistica, lichenes, psoras, lepras, & duros ac callosos in plantis pedum & ditorum clavos, extirpare solent, quam interna cantharidum potionē, quae nihil ad lichenis curam conferat, periuise. Verum enim uero, nullum plane suspicio & conjectura locum habet, ubi clara, plana & distincte expressa prostant uerba, inanum opinionem studiorum, & huiusmodi suspicionis artificium, quo Langius delectatur, penitus elidentia, euertentia. Quid pluribus opus? Plinius, cantharidum potum commemorat, ne uerbulo quidem, externi cantharidum usus, describendo mortem Cossini, mentionem faciens. Quibus merito addendum, quod haud pauci ex antiquis medicis, quos multi recentiorum seculi sunt, cantharidibus, uti euidentissime sequentibus, ex ipsis auctorum scriptis, demonstrabitur, scopo abundans serum eliminandi, stagnans & uisci-  
dum resoluendi, obstructas partes aperiendi, calculum com-  
minuendi, pellendi, uniuersique impuritates corporis per-  
renes ac uescicam urinariam euocandi, euacuandi, interne  
usi fuerint.

II. Nihilo secius, licet haec sententia claris argumentis ac documentis lucens, omnibus appareat, internum aequem cantharidum, ut exitiosissimorum uenenorū, usum, iam priscis medicinae cultoribus, aliisque, notum, & inuisum, in maxima hominum odia peruenisse, docent literarum, quae reliquerunt, monumenta. Ita Caius, apud ci-

CERONEM, (d) tribunus plebis seditiosus, qui P. Africano uim attrulisse existimarus est, accusante L. Crasfo, cantharides sumissse dicitur. Ita Theodorus, eodem Tullio auctore, (e) Lysimacho, mortem minitanti, regebat: magnum uero effecisti, si cantharidis uim consecutus es. Inde OVIDIUS (f) quoque, inuidum, tristissimis omnibus persequens, omnibusque precibus detentans, exsecrans, exsecrationibus aliis, hanc demum adiungit: cantharidum succos, dante parente, bibas! Haud aliena ab hoc nostro instituto sunt, quae PLINIUS, (g) citati exemplo Cossini praemittit, hisce usus: cantharides, uenena esse, potas, praecipuum uesicae cruciatum producentes. Idem (h) praeterea refert: cantharides obiectas esse Catoni Vicensi, ceu uenenum uendidisset in auctione Regia, quoniam eas festertiis sexaginta addixerat. Alio PLINIUS (i) loco, cantharides, medicamenta, uenenum secum habentia, appellat, atque hinc uaria, uariis locis, (k) remedia, noxias earum vires infringentia, commendat. Erodentem denique & exulcerantem cantharidum uirtutem esse, cauendumque, ne exulcerent alte, idem (l) prudenter monet. Simile profrus de cantharidibus iudicium GALENVS (m) tulit, easdem, non uenena modo, urinariam laudentia uesicam, nominans, sed diuersa quoque subsidia, metuendis hinc incommodis prospicientia, in curationem ualutu-

(d) Epistol. ad Famil. lib. 9. epist. 21. ad Paetum, Oper. cum notis Gruteri, edit. Frobeniana, in fol. Tom. 3. p. 77. (e) Tuscul. Quæst. lib. 5. cap. 40. ed. cit. Tom. 4. p. 135. (f) lib. in Ibin, vers. 188. edit. Aldi, in 800, Tom. 2. p. 214. (g) l. c. & p. cit. (h) lib. & cap. cit. fine. (i) H. N. ed. cit. lib. 11. c. 35. p. 190. (k) lib. 20. c. 13. p. 369, & cap. 20. p. 376. lib. 23. cap. 1. p. 417. & cap. 2. p. 420. cap. 4. p. 422. & 423. lib. 28. cap. 9. p. 504. lib. 29. cap. 4. p. 525. (l) Plinius, lib. 29. cap. 6. p. 528. (m) Oper. Basileæ, 1538. in fol. Graece ed. Vol. 2. lib. I. de compof. remed. sec. gen. cap. I. p. 312. ubi, κύστη δὲ αὐτὴ ποιητὴ τῶν κανθαρίδων οἰανεῖν, commemorata.

letudinis, praescribens. (n) Maiorem adhuc sedulitatem atque attentionem animi, in delineandis ueneni, quo cantharides scatent, uiribus, & operationibus, adhibuit DIOSCORIDES, (o) &, qui hunc, genuinam uerborum & sententiarum, in eodem occurrentium, significationem & sensum declarando, optime interpretatus est, MATTHIOLVS, (p) sequentia, quae exhibitis succedunt cantharidibus, mala, incommoda, enumerantes: omnium quippe partium, ac uiscerum, ab ore ad uescicam usque, erosionem, inflammationem, pici aut cedrae similem saporem, difficilem urinæ excretionem, mihiu cruentum, tormina, & excrementa alii frequentia, de dysenteriae natura participantia, animali deliquium, uertiginem, mentis alienationem. Hos, auctoritate horum motus, securus fuit AVICENNA, (q) qui sua ex Galeno partim, partim ex Dioscoride, Arabum more, desumit, ac primum cantharides, inter uenena, uescicae inimica, retulit, (r) deinde animalibus, homines male afficiens, interficientibus, annumeravit, (s) adiungens mox, quae internum earum usum excipiunt, detrimenta, (t) una cum remediis, contra eadem directis. (u) Eadem, iisdem pla-

## A 3

ne

- (n) Oper. ed. cit. Vol. 2. lib. 2. de Antidot. cap. 10. p. 445. (o) Oper. edit. Wechelianæ, in fol. lib. 5 seu de Alexipharmacis, cap. I. p. 402. ubi sequentia leguntur: Τοῖς ἦν κανθαρίδαις προστικαμένοις παρέπεται καλεσθάτα τηρεῖσθαι γάρ από τὰ τοματά μήχανας πάντα δύνασθαι δοκεῖ αυτοῖς, καὶ ματά τὴν γένουν πίσσην ἢ κισσέαν οἷμον τε ἐγγινέσθαι φλεγμάνιον δι τὸ δίξιν ὑποχόρδιον, καὶ δυσορθρία ποδῶν, καὶ ὄμηρος πρόστιτα δι ἔσορα φίστραι ἀντοῖς κατὰ κοιλίαν ὄμηρον ἐπι τὸν διεντερικόν, λεπτομησίας τι κατοις καὶ σκαρδίας περιπτέτων ἵππη τίλαι δι παραφέρεσθαι διανοιαν. (p) Commentar. in Dioscoridem, Venetiis, ex officina Valgiviana, 1565, in fol. edit. lib. 6. cap. I. p. 1409. & 1410. (q) Oper. cum Gerardi, Aepagi, Mongii, Costae, notis, in fol. Venetiis, apud Iuntas, 1608. edit. Tom. I. lib. 2. Tr. 2. cap. 205. p. 307. & lib. 3. fen. 14. Tract. 4. cap. 13. p. 785. (r) Oper. edit. cit. Tom. 2 lib. 4. fen. 6. Tract. I. cap. 2. p. 198. (s) eodem Tomo, lib. & fen. cap. 2. p. 208. (t) Tom. lib. & fen. cit. cap. 3. p. 208. (u) cap. cit. fine.

ne uerbis, innumeris adhuc medicis antiquis, ex quibus, a-nonymum (x) nominare, illique VIRSVNGIVM (y) so-ciare, sufficiet, relata ac notata de cantharidibus leguntur.

III. Fuere pariter multi ex recentioribus, qui ueterum, quos modo citauimus, uestigia prementes, ex eodem fundamento, pro pernicioſis cantharides uenenis habuerunt, & habent. Adeo acre cantharidum virus, ex WEFFERI(z) mente, est, ut idem, cum igneis mercurii ſublimati, ueneni inter mineralia acutissimi, fortissimi, particulis, comparet. Ipſe FRICCIUS, (a) strenuus alias uenenorum, quae generofa eidem remedia audiunt, defensor, ingenue tamen fatetur: quod internus cantharidum uſus, excitata primarum uiarum & uiferum exulceratione, inflammatione, acerbiflum dolorem, nauſeam, uomitum, miſcum cruentum, aliaque grauiora ſymptoma, ipsamque generet mortem. Nemini igitur mirum uideatur, quod PARACELVS, (b) HELMONTIVS, (c) TRINCAVELLVS, (d) MERCVRIALIS, (e) HOLLERIVS, (f) CASTELLVS, (g) CHARAS, (h) SCHROEDERVVS, (i) HOFMANNVS, (k)

WEDDE

(x) libro, qui uocatur: Ortus sanitatis, impress. Moguntiae, per Jacobum Meydenbach, Ao. 1491. in fol. Tom. 2. tract. de animalibus, uitam in terra ducentibus, cap. 19. (y) Prax. Med. ab Vffenbachio 1605. in fol. ed. Part. 7. cap. 4. p. 77. & 78. (z) Cicuttæ aquaticaæ historia, & obſervationibus, Basileæ, in 4to, 1679. edit. p. 306. (a) Tractat. de Virtute uenenorum medica, VI-mac, in 8uo, 1701. cap. 5. mox ab initio, p. 161. (b) Lib. I. de Tartaro, tr. 3. cap. 2. in not. & lib. 2. de tart. tr. 3. cap. 5. in not. (c) Opuscul. inaudit. eum reliquis operibus, Francfurti, in 4to, 1682. ed. tract. de lithiasi, cap. 5. §. 17. p. 33. & 34. (d) Epiftol. med. 24. (e) Lib. de uenenatis morbis, & uenenis, cap. 14. (f) De mat. chirurg. lib. 3. cap. 5. (g) Lexico medico, ſub nomine: Cantharides. p. 131. & 132. (h) Pharmacopea Regia, Tom. 2. lib. 2. part. 3. cap. 14. p. 190. & 191. (i) Pharmac. Med. Chym. lib. 5. claff. 4. no. 98. p. 340. (k) Clauue Pharmaceut. Schroederiana, lib. 5. ſect. 4. §. 76. p. 703. & 704.

WEDELIVS, (l) HERMANNVS, (m) KOENIGIVS, (n) LEMERY, (o) POMET, (p) & sexcentum alii, cantharides, ore assumendas, tum improbent plane, tum plures cautelas, in earum propinicatione, sedulo obseruandas, serio inculcent. Inter quos laude & assensu prae aliis omnino dignus uideatur CASTELLVS, (q) qui, conquisitis, & explicatis, diuerorum medicorum, quibus interius cantharidum usus arridebat, sententiis, & consiliis, hac demum formula iudicium suum concludit, & comprehendit: Enim uero, quid cogit nos ad suspecta, & cum tanto coniuncta periculo, confunge re, cum, in tanta medicamentorum, quae possidemus, faragine, tutiora, quibus abundamus, abunde nobis satisfaciant. Scitis igitur & praecipiti aequissimis, utilissimisque, si ea, quae modo commemorata, attendas, annumerandum, quod tuerit POMET, (r) ad Regium Regis Galliae edictum prouocans, ex cuius mente, nullus pharmacopoeorum, ulli homini, de malis ulla ex ratione suspecto, cantharides, aliorum more uenenorum, quorum, ut saluti uitaeque humanae exitiosorum, uenditio publica, publica legi interdicta est, exhibere, aut uendere potest, uel debet, nisi exacte compertum habeat, easdem, uescicatorii loco, externe solum adhibendas esse. Proinde JOSEPHVS HALL, (s) grauibus horum auctorum, fide dignorum, testimonii, multiplici suffultis experientia, nixus, perpensa coloris uiridis aureique, multiplici varietate splendescens, quo haec musae gaudent, elegantia, deterrium uirus occultante, hunc in modum

(l) Amoenitat. mat. med. lib. I. Sect. 2. cap. 6. p. 91. & lib. 2. Sect. 2. cap. 5. p. 342. cap. 10. p. 387. (m) Cynosura mat. med. cum Henningeri & Boecleri comment. ed. Part. 2. p. 55. & 56. & 57. (n) Regni Animalis Sect. 3. no. 5. p. 334. & sequ. (o) In vollständigem Materialien-Lexico, in fol. ed. sub uoce: Cantharides, p. 226. & sequ. (p) In dem aufrichtigem Materialisten, in fol. ed. Part. 2. cap. 22. p. 534. (q) l. c. p. 132. (r) l. c. (s) Meditat. Subitan. 48. p. 66. & 67.

modum ingeniose de cantharidibus ratiocinatur: Quam pulchra colorum mistura in musca hac cernitur? nulla tamen, ut aiunt, in toto muscarum genere aequa uenenosa, ita, ut uel extimo manus contactu interna corporis viscera corrodat. Non animantibus saltem, sed plantis quoque, ac frugibus, rosis praesertim florentibus, infestis ac pernicioſas esse cantharides, refert PLVTARCHVS, (t) scire easdem cum malitiosis & uersutis calumnioribus, bonam honestorum existimationem falsa accusatione obterere & euertere conantibus, conferens.

IV. Quomodo uero, his ita constitutis, celeberrimorum medicorum, illis, quae iam adduxi, & fibimet inuidem, contradicentium, sententiae, qui, nec a rationibus, nec ab experimentis, exoptatum interni cantharidum usus effectum probantibus, imparati sunt, satisfacieſ? Et solas cantharides, & cantharides cum aliis medicamentis sociatas, HIPPOCRATES, (u) GALENV, MERCVRIALIS, (y) BARTHOLINVS, (z) BLANCARDVS, (a) WILLISIVS, (b) ZACVTVS, (c) PLATERVS, (d) SCHMIDIUS, (e) SCVLTETVS, (f) FERDINANDVS, (g) GVLDENKLEE, (h) BALLONIVS, (i) SCHROECKIVS, (k) SPI-

- (t) Oper. Xylandro interprete, Francofurti, in folio, ed. Tom. 2. de inuidia & odio, p. 537. Κανθάρης γένες οὐ κανθαρίδης ἐμφύτονται μάλιστα ἀκμαζόντι σίτων καὶ τοῖς ιδιαίτεροι γεδονι, οἵτινες οἱ φύσεις μάταιοι μάλιστα τοῖς χρηστῶν καὶ αὐτομοίων πρός αὔξενταν καὶ δέξενταν καὶ προσεπονταν.  
 (u) Oper. Geneuae, 1657. in folio, cum Oeconomia Foesiana, ed. Sect. 4. lib. de rat. uictus in morbis acutis, p. 406. & Sect. 5. de Intern. affect. p. 552. (x) Oper. Basileae, in folio, 1538. Graece ed. Part. 2. lib. 3. de simplic. medic. uirtut. cap. 22. p. 40. (y) lib. 2. de morb. puer. cap. 3. in fine. (z) Cent. 5. hist. 82. (a) Chirurg. lib. 3. cap. 35. (b) Oper. in mai. 4to, Amstelodami, 1682. ed. Pharm. ration. Sect. 4. cap. 2. p. 60. b. (c) De Medic. Princip. hist. lib. 3. obs. 117. dubio 67. p. 395. (d) Observat. lib. I. p. 239. (e) Specul. chirurg. lib. 4. p. 829. (f) Ephemer. Nat. Cur. A. 5. & 6. obs. 148. (g) Hist. 81. cap. 2. qu. 88. p. 260. & 261. (h) lib. 4. cap. 5. obs. 15. (i) lib. I.

(k) SPILENBERGIVS, (l) & MYNSICHTVS, (m) interne, ad morbi comitialis, aquae intercutis, suppressionis lo-  
tii, calculi renalis, obftructionis menstruae, similiumque  
medelam morborum, adhibendas, commendant. Nonne  
pertinaces & graues magnorum & desperatorum morbo-  
rum caufae generofis & potentibus subigendae ac remo-  
uendae remedii? Nonne Herculeis affectibus Herculea  
oppoñenda medicamenta? Nonne diuturnis infirmitati-  
bus, a ferosarum colluui impuritatum, neruos prementium,  
premendo relaxantium, relaxando debilitantium,  
ortis, falia acria, & queuis subsidia, iisdem abundantia,  
opem atque auxilium ferunt optimum & praefentissimum?  
Nonne hinc cantharides, faliū uolatilium oleosorum,  
& penetrantium, quibus saturatae sunt, ministerio, me-  
dendae nimiae partium solidarum laxitati, eliminando  
fero excedenti, resoluendisque humoribus crassis ac sta-  
gnantibus, maxime conuenient? Non ita saltem diuer-  
fi auctores de cantharidum principiis, &, quae ab illis  
dependent, uirtutibus, ratiocinantur, fed suis quoque ra-  
tionibus haud leue pondus, per allata, ad quas prouocant,  
testimonia, exempla, & experimenta, addunt. En HIPPO-  
CRATIS, (n) quo, si excellentis praefantiam ingenii, lima-  
ti politique acumen iudicij, & multiplicium, quas constanti  
usu exæcta perspectas habuit, rerum custodiam, & exercita-  
tionem, respicias, nemo inter medicos felicior, nemo praef-  
stantior, aut peritior, unquam fuit, consilium, rationibus  
haud destitutum, nec desiderato exoptatae operationis euen-  
tu carens! Cantharides sunt, quas, in puluerem redactas,  
& uino dilutas, Cous noster, ad regii extirpationem mor-  
bi, ex temulentia, & rigore, hyemis tempore, orti, com-  
mendat. Cantharides etiam quatuor, præcipit idem, (o)  
B fine

conf. 52. (k) Ephem. N. C. A. I. Schol. ad obf. 133. (l) App. Ephem. N. C. ad obf. 133. A. I. (m) Armam. med. chym. § 8. (n) Oper. ed. cit. Sect. 5, lib. de intern. affec. p. 552. (o) Hippocrates, l.c.

sine alis & capite tritas, ac dimidia uini albi cotyla temperatas, ac sociatas, exhibeto; iam quoque, paucō melle adito, mox ita propinato, idque bis aut ter de die bibat. Quot uerba, tot fere rerum necessariarum momenta, probe ponderanda, tot peculiares circumstantiae, sedulo examinande, tot cautelae, cautoribus nixae consiliis, exacte obseruande, ab Hippocrate hic proponuntur. Haud promiscue, ad cuiusuis medelam i<sup>c</sup>teri, Diuus Senex cantharides praescribit, proscribendas alias quam maxime in plurimis huius morbi speciebus, & causis, sed, in illo saltem casu, eas, aliis additis correctas, circumspetissime exhibendas esse, censet, quando ex frequenti uberioris affatimque hausti potus abusū, longinquitate producto, nerui, motus instrumenta, flaccidiores ac debiliores reddit, haud pares, quae ad succos rite subigendos, attenuandos, miscendos, distribuendos, fecernendos, requiruntur, uires obtinent; iis quippe, adeo perditis, ac prostratis, ut, languente cordis ac reliquarum partium solidarum in fluidas actione, tenuissimae, quibus sanguis constat, particulae, inter se combinatae, in extremis minorum tiasorum uii fixae haerent, haerentes colligantur, collectae condensantur, condensatae obstrunctiones pertinaciores, bilis aliorumque humorum secretionem & excretionem impedientes, non nisi generosissimis medicamentis resoluentibus tollendas, producant. Nam, uehementi malo, uti iudicat CELSVS (p) meus, nisi aequo uehemens auxilium succurrere non potest. Diureticis potissimum, quibus accensentur cantharides, ex monito FVCHSI, (q) medicus uti debet, ubi obstructio, uel humorum sta-

Διδόναι δὲ κανθαρίδες, ἀπὸ πτερόν καὶ κεφαλῆς τέσσαρας τεῖβαν, καὶ δεῖς  
ὅπως λευκῷ οὐκοτυλήν οὖν δὲ τῇ μὲν παραχειρὶ ὀλίγους, εἰτα ψυτα  
τηῖν, τέτο πινέτα δὲ η τεῖς τὸς ημέρης. (p) de Medicina, ex recognitio  
nione Ioh. Antonidae van der Linden, ed. secunda, in 12mo,  
1665. Lugd. Batav. lib. 2. cap. II. in fine, p. 89. (q) Instit.  
Med. lib. 2. Sect. 5. cap. 26.

stagnantium congestio, circa hepar, eius praecipue gibbosam partem, adeft. Maior adhuc huiusmodi generosi remedii erit utilitas, utiliorque & felicior usus, & operatio, si ieterus, ab allegatis ortus causis, hyeme, quam frigida humida- que tempeftas, solidorum laxitatem, ac fluidorum uisciditatem, augens, comitat, ingruat; quod pariter, in cantharidum, hic commendatarum, praeſcriptione, diligenter aduertendum esse, Hippocrates praecipue indicauit. Praeterea, ne acria, & penetrantia, quibus cantharides referatae sunt, salia, aliquam nervis uisceribusque iniuriam labemue inferant, non albo duntaxat uino, puluerem, ex tritis confectionem cantharidibus, diluendum, temperandum, sed, addito etiam melle, corrigendum, eiusque acrimoniam impli- candom esse, Cous noster sobrie moner, ac serio suader.

V. Ex eodem fundamento, iisdem fundato rationibus, iisdemque stabilito experimentis, Diuus Senex (r) cantharides peraeque, ut utiles, & congruas, ad aquae, extra uasa profusae, & inter cutem diffusae, euacuationem, laudauit, laudans hunc in finem potionem, ex cantharidibus & aqua parata, eo, quo ſequentibus innuitur, modo, adhibendam. Potionem, inquit, (s) aquae inter cutem effusae & stagnanti euocandae ſeruientem, concinnabis, si cantharidum trium, ablato cuiusque capite, pedibus, & aliis, corpora contrita, tribus aquae cyathis miscaſis, exhibueris, hac, in eiusdem uſu, uſus prudentia, prudentique regimine, ut, quam primum aegrotus ex epoto laborari medicamento, calida perfundatur, ac oleo prius unctus, iejunus bibat, edatque panes calidos ex oleo. Non putet quis, praeceps in iudicando, cantharides ab Hippocrate, ut ſpecificum omni aquae intercutis, a qua cun-

B 2

que

(r) Oper. ed. cit. ſect. 4. lib. de rat. uict. in morbis acutis, p. 406.

(s) S. l. & p. c. Πόμα ὑδροπώτη κανθαρίδιας τέσσες, ἀφελάν την κεφαλὴν τείχους, τὸν δέδα, καὶ πτερά, τείχις in τριοι κυάδοις υβάτες τὰ σώματα, ὄποτα δὲ ποτίν ὁ πιον, θεραπεύθεισα, ὑπαλεψάμενος δὲ προτερό, μῆτρα πιντα, ἵδητα δὲ ὕγρας θεραπεύεται ἀλεφατος.

que causa ortae, remedium, commendari; commendantur cantharides, ut fortius stimulans, stimulando, debilem & intermortuum fere uiscerum uaforumque motum excitans, excitando, uires motus mechanici restaurans, restauratis simul, quae suppressae partim, partim imminutae, ac retardatae, praesens malum augebant, malaque malis cumulabant, impuritatum serofarum, e corpore eliminandarum, secretionibus, atque excretionibus. Lenioribus quippe, & tuitoribus, quorum plura aliis locis hunc in finem Hippocrates praescripsit, frustaneo adhibitis effectu, idem, dubam spem, uti loquitur CELSVS, (t) certa desperatione potiorem esse, ratus, ad potentiora configundendum, fortiorique, qualis in cantharidibus haereat, stimulo, uniuersi compaginem corporis, ab excedentis, &, tum in uasis circulantis, tum extra eadem stagnantis, quo tubuli fibraeque referatae, pressae, obrutaeque flaccescant, seri abundantia, unica hic ueraque tam grauis morbi causa, liberandam esse, consulebat. Sunt itaque cantharides, ex mente Coi nostri, extreum subtercutanei, uti ab AVRELIO VICTORE (u) vocatur, morbi, ad quod, ut sacram anchoram, tandem prooperare deceat, remedium. In illo, inquam, hydropsis esfentialis statu, locum habent cantharides, ubi, ex sententia CELSI, (x) satis est, anceps experiri auxilium, quam nullum. Sunt omnino cantharides, desperatum desperatae aquae intercutis medicamentum, spem non desperatissim faciens, si, uisceribus adhuc integris, nullo obsessis scirrho, nullo erosio ulcere, similiisque grauiori labore, radicalis medelae experte, affectis, morbus ille a nullo alio dependet morbo, sed omnis culpa, primaque illius origo, & causa, in neruis flaccidioribus, nimia affluens effluentisque aquae copia oneratis, consistit, ita constitutis, ut non uniuersum modo corpus, omnesque id componen-

(t) De Med. ed. cit. lib. 5. cap. 26. p. 323. (u) lib. 4. cap. 14.  
(x) lib. 2. cap. 10. p. 84.

ponentes partes solidae, aqua, extra uasa profusa, collecta, cumulataque, repletae ac diftentae turgeant, sed sanguis ipse, uasaque, quae eundem continent, ac uehunc, ex feri, quo sanguis, aquae instar, diffusit, seroque, quam sanguini, similior existit, abundantia, praeter naturam obfessa & quasi inundata sint. Tum quippe, cuneo cuneus trudendus, protrudendus est; tum, nonnisi fortissimo irritante, aliquid proficiens; tum fere, uti sentit Medicus Romanus, (y) quos ratio non restituit, temeritas adiuuabit. Alterum illud uero ignorari non oporter, uti monet CELSVS, (z) quod non omnibus aegris, eodem morbo laborantibus, eadem auxilia conueniant. Nam, ex eiusdem auctoris (a) monito, inter initia non difficillima est dicti, de quo agimus, morbi curatio, si imperata sunt, quies, sitis, inedia; at, si malum inueterauit, non sine magna molestia discutitur. Et idem, in cantharidum, aquam intercitem curandi ergo, praescriptarum, usu, perpendendum, obseruandum; eadem enim, in eiusdem mali, uetusitate corroborati, & deterioriori reddit, augmento, praesente iam urgenteque diuerarum partium inflammatione, summaque virium prostracione, minus conueniunt, conueniente hic cum experimentis, consiliis, ac monitis, quae GALENVS, (b) FERDINANDVS, (c) ZACVTVS, (d) aliqui suppeditant, sana ratione, certissimo rationalis medicinae fundamento, firmissimique fulcro. Nihil autem horum utique perpetuum esse, ut uerbis CELSSI (e) utar, docet modo citatus GALENVS, (f) qui, in explicatione sententiae Hippocraticae, antecedentibus uentilatae, occupatus, binis obseruationibus, binisque experimentis, imprudenter institutis, sinistrum infelicemque cantharidum, in hydropis medela exhibitarum,

B 3

usum,

(y) Celsus, lib. 3. cap. 9. p. 146. (z) lib. 3. cap. I. p. 119. (a) Celsus, lib. 3. cap. 21. p. 171. (b) Oper. ed. cit. Part. 5. Comment. in librum Hippocratis, de ratione uictus acutorum morborum, p. 116. (c) Histor. med. 38. p. 117. (d) Princ. hist. lib. 3. cap. 19. p. 515. (e) Lib. 3. cap. 4. p. 126. (f) 1. c.

usum, aegrotis hinc uita defunctis, confirmans, hac tandem, qua concluit interpretationem, clausula, (g) libi ipsi, Hippocrati contradicturus, contradicere uidetur: Reperiri nempe quosdam, qui remedii, ex cantharidum compositione praeparatis, ac, scopo lotium ciendi, ciendoque idem, abundantem euacuandi aquam, adhibitis, sine detimento utantur, usque fuerint. Si itaque cantharides, in quibusdam, sine omni corporis labore, atque iniuria, promota auctaque lotii secretione, & excretione, minuenda & remouenda excedentis seri copiae seruiunt, certum hinc & egregium necessario erit, quod huiusmodi hominibus cantharides praefant, emolumenntum.

VI. Ne igitur oleum & operam perdamus, operaे, quam ipsa iniungit necessitas, pretium erit, ut, ex hoc inextricabili & multis grauibusque difficultatibus impedito contradictionum, & experimentorum contrariorum, contrarios cantharidum effectus probantum, quorum plurima, sequentibus sistenda, & explicanda, adhuc restant, labyrintho euasuri, ab ipsis cantharidum natalibus, & principiis, natura notis, & arte chymica erutis, certiora sententiae nostrae, usui & sanae rationi, optimis rerum medicarum magistris, congruae, argumenta repetamus. Diuersa, quae cantharidibus imposuerunt, nomina, haud perquiremus; nec de uariis cantharidum, quas alii aliisque medicorum suppeditarunt, descriptionibus ac definitionibus solliciti erimus, nec, quae earum patria, origoue, examinabimus, nec diuersas, quas ALDROVANDVS (h) allegat, cantharidum species, commemorabimus, nec partium, quibus cantharides compositae, sectionem, examenque anatomicum, instituemus. Nofra nihil refert, nobisque perinde erit, siue cantharides, cum ARISTOTELE, (i) uermes, ex eru-

(g) I. c. Εστι γενέν ἐργατικῶν φαρμάκων διὸ κακοῖς διὰ την εὐθύνην την παντοτεν αὐτῷ. (h) lib. 4. de infect. cap. 4. (i) Oper. in 800, Aureliae Allobrog. ed. Tom. I. hist. Animal. lib. 5. cap. 19. p. 946.

erucis fici, pini, piri, atque etiam fentis caninae, ortos, uel cum LINDESTOLPE, (k) uirides pini erucas, appelles, sive easdem, cum HERMANNO, (l) animalia oblonga, alata, parua, aureo uiridique distincta colore, sapore primum nullo, hinc acerrimo, piceo, urente, erodente, odore que, cum recentes sunt, foetidissimo, praedita, dicas. Sufficit nobis, sufficerque benevolis & prudentibus lectoribus, si iidem una nobiscum sciant, per cantharides, quarum discrepantes vires antecedentibus iam delineauimus partim, partim sequentibus uberiori enodare annitemur, muscas illas teretes, uiridi aureoque resplendentes colore, quae in Hispania, Italia, aliisque locis calidioribus frequentes, Hispanicae, Germanis, *Spanische Mücken*, vocantur, intelligi. Cantharis uero, citatum modo insectum, sive principia, & uirtutes, sive modum applicandi, agendique, consideres, tum a cantharide, uermiculo, quem, noctilucam, sive cicindelam, dicunt, tum a cantharide, herba, quam sub nomine fumariae, DIOSCORIDES (m) descriptam sistit, maxime differt. Ac, licet cantharides, a cantharo, uoce, scarabaeis, notissimis insectis, competente, quasi exiles canthari, uel scarabaei, nomen suum acceperint, cum his ramen, uel cantharellis, uerribus nempe maialibus dictis, uel cum cantharo, pisce squamoso, quem, ut immundum, immundo cibo, stercore uescensem, & in luto uersantem, Iudaei, teste BOCHARTO, (n) respunnt, minime commiscendae aut confundendae sunt. Abhorret porro a propositi institutique nostri ratione controversia, inter HAGENDORNIUM (o) & LANGIVM de cantharidum ortu, agitata, quorum (p) ille, has modo allegatas

(k) libro de Venenis, a me edito, cap. 4. thes. 8. p. 134. & 135. (l) Cynosura mat. med. ab Henningero & Boeclero fusius explanata, Part. 2. p. 55. & sequ. (m) Oper. ed. cit. de mat. med. lib. 4. cap. 110. p. 286. (n) Hierozoico, in folio, Opera Clodii, Francofurti ad Moenum, 1675. ed. Part. I. lib. I. cap. 6. p. 42. (o) Cynosbatol. p. 96. (p) Conf. Chabracus, Sciograph. stirp. p. 108.

tas muscas, ex uermibus, intra sentis canis, quam Graeci οὐνίσθατο nominant, spongias commorantibus, facta paulatim mutatione, generari, afferit, quod hicce repudians, ac negans, perhibet, easdem turmatum ad nos ex aliis regionibus accedentes, licet in oris nostris coire uideantur, ouula tamen nec ponere, nec pullos excludere, cum omnes, quo-uis tempore, unius eiusdemque magnitudinis conspiciantur. (q) Quemadmodum uero cantharidum ortus, si atten-damus FRANCISCI REDI (r) demonstrationem, repetitis innixam experimentis, ex ouulis, eodem, ut alia insecta, modo, generatarum, arcessenda, ita RENODAEI (s) sententia, qui, ARISTOTELIS (t) uestigiis inherens, canthrides ex putredine putridaque materia produci statut, omni pruden-tum assensu destituta, relinquenda. Tametsi, scribit LANGIVS, (u) nostris in oris subinde largam illarum uide-as adesse copiam, tamen aduentus & discessus fere unum idemque sunt, &c, alimento deficiente, auolant in aliud locum, ita, ut uix per quadrivium uno in loco subsistant, sed, uti turmatum accedunt, ita tandem rursum turmatum recedunt, & dubio fine loca calidiora, qualia sunt, Sicilia, Italia, ac Hispania, sibi quaerunt; hinc fit, ut his nostris in oris, etiam si coire uideantur, oua tamen non ponant, nec pulli excludantur, aut uideantur, sed omnes unius eiusdemque magnitudinis conspiciantur. Temeraria proinde uulgi censenda opinio, temere, uti testatur LACH-MVND, (x) creditis, canthrides, exacto septem annorum spa-

(q) Conf. Boeclerius, in notis ad Cynof. Mat. med. Hermanni, ed. cit. Part. 2. p. 57. (r) Experimentis circa generationem inse-ctorum, Amstelodami, in 12mo, 1671. editis. (s) Dispensat. Galenico-chymico, Hanouiae, in mai. 4to, 1631. ed. lib. 3. de mat. med. cap. 34. p. 337. & 338. (t) Oper. ed. cit. Tom. I. l. 5. de hist. animal. c. 19. p. 946. (u) Oper. cura Riuini, Lipsiae, in folio, 1704. ed. Part. I. p. 430. (x) Misc. Cur. Dec. I. An. 4. & 5. obl. 186.

spatio, Germaniam adire, mox denuo eidem ualedicentes; cum tamen quotannis apud nos, statis, quae exakte obseruanda sunt, temporibus colligantur, collectae ad Batavos & Hispanos, teste LANGIO, (y) mittantur. Hoc uero inter omnes, ut certum, certis euictum testimonii, constat, quod cantharides, in regionibus calidioribus, non frequentes tantum, sed diversae etiam, ac multiplices, uariis variarum arborum, fruticum, & herbarum foliis, floribus & fructibus uestientes, delectantes, reperiuntur. Reperiuntur hoc modo in Geirmania, Vngaria, Hispania, Italia, & aliis locis, aliae aliaeque cantharides, discrepante figura & colore praeditae, de quibus non sine fructu euoliendus, legendus, IONSTONVS. (z) Reporuntur aliae fraxino, ligastro, rosise infidentes, insidiantes; reperiuntur aliae frumentum, triticum imprimis, amantes, amando depascentes. Reperiuntur plures in Sicilia cantharidum species, quae, auctore BOCCONE, (a) mense Martio accedentes, oleis admodum inimicae infensaue sunt. Cantharides olim, ut exitiosissimos frumentorum destructores, consumendo destruentes, quicquid hominum prosperitati atque incolumenti destinatum erat, Cappadociae incollis admodum exos & abominabiles fuisse, obsoleta Metrodori fabula probat. Ridiculum, inquit PIERIVS, (b) obseruationem Metrodorus Scepticus ponit, nostro etiam tempore huid quaquam abolitam, in frumentis, oleribusque, a cantharidum iniuriis solpitandis, quod in Cappadocia inuentum prodit, ob multitudinem cantharidum; mulieres quippe, menstruo laborantes fluxu, per media ire arua, hortosue, reiectis, sit uenia uerbo, supra clunes uestibus, erucasque ita, ac uermiculos, scarabaeosque, & noxia alia, decidere. Alibi

## C

## moris

(y) Oper. Part. & pag. cit. (z) De Infectis, lib. I. cap. 6. p. 76. & sequ. (a) In curießen Anmerckungen, obf. 23. p. 478. (b) Hieroglyphicis, Lugduni, apud Paulum Frellon, in folio, 1626. ed. lib. 8. cap. 23. p. 79.

moris est, ut nudis pedibus eant, capillo cinctuque disfollato, uersu eo, quem, a Graecis (c) desumum, ita Romanii pronunciant, uententes: facelite cantharides, lupus agrestis uos inseguitur. Fide dignius & utilius est LANGII (d) experimentum, qui puluerem cantharidum, fructibus arborum insinuandum, ad fures pomorum, prunorum, &c. detegendos, fugandos, commendat, ut sequentia illius uerba, literis, ad amicum datis, inferta, probant: Verum, nusquam cantharidum usum commodiorem comperi, quam si crudum illarum puluisculum pomis, aut prunis, sicubus, persicis quoque uenustioribus, ab ima arbore pendulis, inferueris, fissuramque, reducto putamine, celaueris; quae si pomorum fures decerpta degustauerint, intolerabilis urinæ ardor, & stillicidium, furtum illorum redarguit, & gravitate supplicii compensat; ut hoc remedio melius Lampacenorum Deo, fures pomorum ab amoenissimo horto tuo in suburbio arcere & deprehendere possis.

VII. At enim uero, redeamus iam e diuerticulo iuiam; redeamus iam ad cantharidum uires, uiribus principiorum, quibus constant, rationis & usus ministerio compertorum, probandas, demonstrandas. Cum autem medicus peritus ac prudens summa sedulitate curaque eo anniti ac respicere debeat, ut res, de quibus ferenda sententia, exacte prius examineret, examinatas distincte cognoscatur, & perspiciat, ne, uti frequenter, his neglectis, fieri solet, obiecta sensum, sensusque intellectum & iudicium fallant, ante omnia, que nos cantharidum odor, uel foetor potius deterrimus, saporque urens, inflammans, & erodens, doceat, paucis considerabimus. Foetoris certe, quem recentes exhalant cantharides, puridissimi, grauitas, molestissima,

(c) Vid. Pierius, l. c. Φίνυετε κανθαρίδης, λύκος ἄγριος οὐκαν διάκενος

(d) Epist. Med. ed. cit. lib. I. epist. 47. fine, p. 234.

ma, inimicissima, ac uix tolerabilis est. Quid eadem uero innuit? nihil aliud sane, quam sulphuris impuri & copiosi, acrum & penetrantium copia salium, nerveas narium papillas fortius irritantium, reserti, praesentiam. Praefens quoque cantharidum, praesentissima erodendi uirute infestus effectus, ac sapor acerrimus, piceus, urens, qui in primo gustus momento abesse uidetur, mox, solutis, exsolutisque, quae olei crassioris compedibus irretita haerebant, salibus, saliumque cuspidibus in solida adactis, se se uehementi ardore, siti & dolore manifestat, manifeste indicans, penetrantem salium uolatilium, quae canthrides possident, acrimoniam. Haec ulterius confirmat illa artis salutaris ministra, chymiae nomine nota, & celebris, qua corpora solida, uel ignis uel accommodatorum subſilio liquorum, foliuimus, soluta coagmenamus, aliaque alio subinde modo mutamus, praeparamus, praeparata, varia ratione, uarioque, qui hinc sequitur, successu, adhibemus. Ita, si pulueri cantharidum, aquam cardui benedicti, aliamue similem, affundimus, affusam cum puluere cantharidum probe miscemus, & subigimus, subactam, & uase congruo inclusam, cineribus uitius committimus, ac per tres dies in leni detinemus digestione, liquorem, seu tinturam, admodum acrem, resoluentem, eroden tem, acquiritimus, quae, in uenam iugularem canis dextram iniecta, vomitum, fitim uehementissimam, capitis nutationem, conuulsiones, aliaque atrocia mala, incommodaque, & deum mortem, uti experimenta, a BAGLIVIO (e) instituta, & repetita, probant, excitat. De his nos certiores redunt BORRICHII (f) experimenta, experimentis aliorum confirmata, qui, perquisitis, adhibito igne, examinatis que, & erutis, quibus canthrides gaudent, principiis,

C 2 mani-

(e) Oper. Antuerpiae, in 4to, 1715. ed. Dissert. I. de Uſu & Abuſu uſicantium, cap. I. exper. I. & 2. p. 647. & 648. (f) Actis Hafnieni. Hafniae, sumtibus Petri Haubold, in 4to, 1677. ed. Vol. 4. Part. I. qbl. 80. p. 185. & sequ.

manifesto comperit, aduertit: quod cantharidum selectarum uncia una, uitreæ commissa reformatæ, igne primum leni accenso, eoque sensim paulatimque, ex regulis artis, hic ne essariis, aucto, conspicuam salis uolatilis copiam, drachmam circiter dimidiæ, sed plus adhuc olei crassi, coloris subflavæ, odoris foetidi, totam nempe drachmam, & continuata operatione, parum aquæ flauæ & salis fixi exhibuerit. His porro citatus modo BORRICHIVS (g) addit, quod in productis, quas adduximus, cantharidum salibus, oleoque, nihil acidi ullo deprehensum fuerit indicio, cum eadem, acidis sociata, uehementer effervuerint, eoque, se de lixiui, uel, si maius, de urinae natura, odo-requæ, & uirtute, participare, ostenderint. Imo, pergit idem, (h) caput mortuum, ut uocant, aliquor postea horis flamma cruciatum, tantillum salis fixi lixiui produxit, quod & ipsum spiritui nitri iniectum in spumas & strepitum, effervescientium more liquorum, erupit. Conseruas hic, rara alias in horis medicorum aus, inter celeberrimos huius seculi medicos reperitur. Vna in hac re consentiunt omnes; consentientem habemus WEDELIVM; (i) consentit HERMANNVS; (k) consentit peraeque MOSES CHARAS, (l) licet idem, in quibusdam, a BORRICHO, quod attinet aquæ, quam cantharides destillatae fundunt, copiam, dissentire uideatur. CHARAS quippe, cantharidibus integris siccis, in retortam argillaceam, uel uitream, luto probe obductam, coniectis, ita eandem repleuit, ut quarta circiter pars uacua remanserit. Vase hinc congruo, quo liquor, saliaque prolecta, suscipienda sunt, applicato, & instituto; ex legibus artis, destillationis negotio, obuia pro-

(g) Aët. Haffn. Vol. Part. & obs. cit. p. 186. (h) Borrichius, l.c.

(i) Amoenit. Mat. Med. ed. cit. lib. 2. Sect. 2. cap. 10. p. 387.

(k) Cynofura mat. med. ed. cit. Part. 2. p. 55. (l) Pharmacopœia Regia, Galenico-Chymica, Genevae, 1683, in mai. 4to, ed. Tom.

2. lib. 2. Part. 3. cap. 14. p. 190. & 191.

prodierunt, sal uolatile cum oleo, plurimo phlegmate, uti chymici loquuntur, commixta. Commixta igitur aquae salia separaturus, rectificationem ita dictam, dictus commendat auctor, moderato igne instituendam, cuius beneficio statim proditum, sursum ascensurum, sal uolatile album & crystallinum, non minori industria quam sedulitate recondendum, & in lagena uitrea densa, accuratissime occlusa & obthurata affluandum. Haec uero tam serio inculcantur, quia sal uolatile cantharidum fugacissimum est, & facile, in auras abiens, dissipatur, & absimitur. Tanta etiam penetrandi facultate & acrimonia idem pollet, ut in lingua libanitium ulcuscula pariat, nec aliter assimi queat, quam liquoribus quibusdam dilutum, aut accuratissime opiatis commixtum, aliasque remediis demulcentibus inuolutum. (m) Praeterea sal uolatile cantharidum, vocatur potentissimum omnium diureticorum, adeo excellenti, quam eidem non nulli adscribunt, uirtute praeditum, ut etiam calculis renum & vesicae urinariae atterendis, dissoluendis, & forma arenularum expellendis, sufficere credatur. (n)

VIII. Erutis iam, & per experimenta chymica, rationibus suffulta, demonstratis cantharidum principiis, certior quis credere deberet, nullum de viribus earum, modoque operandi, dubium restare, omnemque dubitationibus, & controversiis, quae medicis admodum familiares & frequentes sunt, ansam esse subtractam, praecisam. Ast, uide, & attende, idem, quem modo laudauimus, BORRICHIVS, (o) non minus solers & doctus, quam felix quoque rerum naturalium indagator, eo ipso, dum vires cantharidum exacte gestit explorare, & ita, omnia in apricum proferendo, enodare, ut nullus praeterea scrupulus, nullus

C 3

dubi-

(m) Vid. Charas, l. c. (n) Vid. Charas, l. c. (o) l. c. p. 186. & 187. item, Act. Hafin. Vol. 5. obl. 89. p. 216. & sequ.

dubitationi locus relinquatur, nouae, quam multi aucto-  
res (p) de lana caprina esse indicant, controuersiae occasio-  
nem & materiam suggesterit uberrimam. Idem enim, abso-  
luta iam, quam cum cantharidibus instituerat, operatione  
chymica, ac prolectis, sale uolatili, fixoque, & oleo foeti-  
do, ut certius constaret, in quo horum omnium corpore,  
uis illa & potentia, quae vesiculis excitandis seruit, potissimum  
resideret, manum famuli hinc liberaliter perficuit  
oleo illo crasso, ibi sale uolatili, leuiter, ut melius ageret,  
soluto. Enim uero, famulus, his peractis, nihil doloris,  
nihil vesicularum, etiam post moram diuturniorem, quan-  
quam subinde, ut incalceret manus, atque ad operandum  
promptius admota excitarer, igni satis diu vicine detinere-  
tur, sentit. Haec itaque, rationibus subductis, & certo, uti  
**BORRICHIVS** putabat, iudicio ponderatis, animo circum-  
spiciens, in eam incidit opinionem, nec sali uolatili, nec  
oleo foetido, uirutem, quae cantharides applicatae adhi-  
bitaeque exserant, fortius stimulantem, erodentem, & ve-  
sicas excitantem, tribuendam esse. Sibi hinc, aliisque ue-  
ritatis cupidis, satisfacturus, primum ad **GALENI** prouocat  
sententiam, huic dubio, uti credebat, sufficientem, suffe-  
cturam, nempe, aliam esse remediorum quorundam, to-  
ta substantia, hoc est, uiribus unitis, agentium, aliam eo-  
rum, a se inuicem separatorum, atque in diuersas partes di-  
stinctorum, facultatem, & operationem. Ast, nec his ac-  
quiescebat **BORRICHIVS**, nec his, cum ei mens **GALENI** ni-  
mis obscura uideretur, acquiescendum esse, ducebatur. Vnde  
idem, de certiori uirium, in cantharidibus haerentium,  
fundamento, sollicitus, animalcula haec integra accuratori  
examini, & diligenti oculorum, microscopis, uti dicitur,  
arma-

(p) Wedelius, lib. & pag. cit. Hagendorf, M. N. C. Dec. 2. an. L.  
obl. 163. p. 388. Segerus, quem allegat Hermannus, lib. & pag.  
cit.

armatorum, inspectioni ac contemplationi subiciens, stupendam innumerorum aculeorum, hastarum instar, e cantharidis corpore, trunco imprimis, & pedibus, omnibusque illius partibus, prominentium, multitudinem uidet. Vix haec consperxerat BORRICHIVS, cum illico putaret, se ueram ac genuinam causam, a qua uis cantharidum urens atque erodens dependent, inuenisse, demonstrasse; easdem scilicet, tot spiculis, tot cuspidibus rigidis instructas, asperas, & horridas, uehementius cutem, cutisque, quibus coagmentata est, nerois, uasaque, irritando, pungendo, lancinando, eundem, aliquaque plures, de quibus disputamus, effectus, eadem prorsus ratione, uti urticae folia, similibus armata spinis, manum adurant, producere, ac uenis recepta, & per universi viscera corporis distributa, ad renes imprimis, ac uescicam urinariam, reliquaque partes, urinae secretioni & excretioni seruientes, deducta, inflammationem & erosionem generando, tum continuu mingendi conatus, dolore & difficultate iuncti, tum proflui sanguinei, aliorumque grauium malorum, causam existere. Verum enim uero, ignoscant mihi, meoque instituto, pii manes Divi BORRICHII, viri de artibus ac scientiis meritissimi, omnique laude a me excogitanda superioris, si libere atque ingenue, apta, certa, firma ac grauia argumenta, argumentorumque explicaciones, & momenta, quibus permotus, ac persuasus, ab eodem dissentiens, consentientes alias summo studio & cupiditate sequor, sector, affector, exponam. Certum omnino est, canthrides, microscopio inspectas, & examinatas, plura, eaque uisu, non tactu, rigida, intuentium oculis spicula, fistere. Sed, similes peraeque aculeos, aculeorumque cuspides, quaevis muscae, examini, per microscopiam, ex etissimo artificio elaborata, instituto, subiectae, exhibent, quae tamen uirrute & facultate uescicas excitandi destituuntur. Deinde, pili sunt moliores, uel pilis similes partes, quas in canthari-

tharidibus uidit BORRICHIVS, (q) non spinae horridae, aut spicula cornea quasi, uti ab eodem (r) appellantur. Qua porro ratione, quo rationis sanae suffragio, huiusmodi aculeis, spinisque, si quae etiam, uti BORRICHIO persuasum est, adessent, uirtus uehementius irritandi, & uescicas excitandi, tribui potest, cum, ex prudenti, & certo, certa experientia suffulto, WEDELII (s) monito, pereunte illa acuminata suppositorum spiculorum, per pistillum in mortario comminitorum, ac cum uiscidis & oleosis commixtorum, figura, textura, & ui penetrandi, puluerisatae nihilominus cantharides, modo recentes adhuc sint, salibusque uolatilibus oleosis refertae, potenter id praestent, quod spiculis peculiaribus, cum cantharidum pilis confusis, iniuste demandatur paeſtandum. Nonne etiam moliores cantharidum partes, inter quas corpus, capite, alis ac pedibus orbum, eminet, huiusmodi spinis abundant, cum rigidiora earum membra, qualia, caput, & alae, huiusmodi aculeorum fere expertia sint? Quae praeterea alleganda causa, ob quam, altero tertioe anno elapso, in pulurem fere inertem, uesciculis excitandis non amplius sufficientem, abeant cantharides, nullis, quae, si ex mente Borrichii corneaef sent, restare deberent, spinis reperiundis, cum tamen alis sua conster integritas & rigiditas? In auras certe abiit sal uolatile oleosum acerrimum, successiue solutum, dissolutens simul totius corporis compaginem, quo dissipato, & exhausto, deficit desiderata, quam antea cantharides obtinebant, uirtus. Considera denique, quod multae herbae, aliqua, uescicis excitandis congrua, quae uegerabile regnum suppeditat, nempe flammula Iouis, pes columbinus, ranunculus, vermicularis, flores & summitates thapsiae, femina & fari-

nae

(q) Act. Haffn. ed. cit. Vol. 4. obs. 80. p. 186. & 187. (r) V.d. Borrichius, Act. Haffn. ed. cit. Vol. 5. obs. 89. appendice de Cantharidibus, p. 216. ad 218. (s) Amoenitat. Mater. Medic. lib. 2. Sect. 2. cap. 10. p. 387.

nae nasturtii, sinapeos, erucae, staphidis agriae, gummi euphorbium, radices & fibrae allii, cyclaminis, dracunculi, pyrethri, ranunculi, scyllae, rhapsiae, ut saponem nigrum, succum cataputiae & tithymali, tartarum ustum, fermentum uetus, &c. silentio transeam, non alii principio, suas uires, quas in praesenti negotio exserunt praefentissimas, ac praefantissimas, debeat, quam quidem sali uolatili oleoso, ualde acri. Acrimonia omnino omnibus his ineft, gradu vero a se inuicem differt. Dehinc a uaria salium, plus minusue penetrantium, copia, & indele, quod alia eorum, quae commemorauimus, potentius, remissius alia, citois alia, alia tardius agentia, effectum praestent speratum, deriuandum. Nec tamen in his solis, genuina diversae operationis ratio semper fundata est, saepe enim remedium, quod in hoc illoue aegroto, uesticas, multo turgidas humore, promte excitauit, in aliis, eundem in finem, adhibitum, nihil plane, ac si omnibus agendi uiribus priuatum esset, praefat. Exemplo & documento fint ipsae cantharides. Quoties eaedem irrito successu applicatae fuerunt? Non semel mihi idem euenit. Confirmat idem WEPFFERVS. (t) Probant idem plures aliae obseruationes & historiae. Si igitur ipsae cantharides, in substantia, ut dicitur, adhibitae, uiribus adhuc unitis praeditae, nullas in nonnullis uesticas excitare potuerunt, multo minus idem, solum oleum, a sale uolatili separatum, vel solum sal uolatile cantharidum, ab oleo sciunctum, semper praestare poterit. Longe quippe alia est uirtus salium uolatile simplicium, alia salium uolatile oleosorum. Cur tandem cantharides, acidis generosis imbutae, ac saturatae, uim suam, vel plane amittunt, vel remissiorem obtinent, quae certe, si aculeorum,

D

quos

(t) Obseruationibus Medico-Practicis, de affectibus capitis, Scaphulii, in 4to, 1727. studio & opera nepotum Wepfferi, ed. obliteris. 70. p. 229.

quos dictis insectis BORRICHIVS tribuit, rigiditas, ueram illius causam, constitueret, incrementi potius, quam decrementi, particeps fieri deberet, spinis spiculisque acido spiritu firmioribus ac rigidioribus redditis. Quod reliquum est, ad HAGENDORNII, (u) BAGLIVII, (x) SEGERI, (y) aliorumque medicorum experimenta & obseruationes prouocamus, qui, solutis uaria ratione cantharidibus, uariisque hinc, diuersorum subsidio liquorum, tinturis paratis, non saporem modo ualde acrem, salsum, erodenrem, sed eosdem quoque, licet remissiores, quos canthrides integrae, integra deglutiae substantia, praestiterunt, effectus, ab illis quoque editos, obseruarunt, annotarunt.

IX. Diuersae igitur circumstantiae, rem totam uarian tes, mutantes, quae in allegato & descripto BORRICHII experimento, rite examinato, iudicato, occurrunt, cum rationibus, obseruationibus, argumentis, argumentorum punctis, momentis ac ponderibus, modo adductis, collatae, expensae, planum faciunt, ac clarissime demonstrant, exemplisque, quorum multa adhuc afferam, explicanda, confirmant: quod cantharidum uires, hominum saluti atque incolumenti amicae, inimicæ, a sale uolatili acerrimo, sulphuris penetrantioris, atque impurioris copia, adiuto, sint arcessendæ. Cum igitur, in aliis hominum, salia uolatilia, sulphure combinata, excedant, in aliis deficiant, aliis salia alcalia, acida aliis molestiam creent, aliisque eorum, ex nimia solidorum rigiditate, ariditate, & fortiori motu, aliis contra ex neruorum, sero obrutorum, infarctorum, flacciditare, laxitate, & languore, multi multiplices que

(u) M. N. G. Dec. 2. Ao. 1. obs. 163. p. 388. ubi de uirtute liquoris, ex cantharidibus prolecti, agit. (x) Oper. edit. cit. Dissertatione de Viu & Abusi Vesicantium, cap. 1. exper. 1. & 2. p. 647. & 648. (y) Vid. Hermannus, Cynosura mater. medic. ed. cit. Part. 2. p. 55;

que benignae & malignae indolis morbi immineant, & contingant, neminem sine, sanas compotem rationis, atque rerum medicarum prudentem & attentum, latere potest: quod cantharides, alii proficiae, alii noxiae, aliis sanitatis, aliis morborum auctores sint. Absit uero, absit, inquam, a nobis, ut alia principia, aliasque subinde vires, trunco cantharidum, alia iterum capiti, alii ac pedibus harum muscarum, sinistra sententiae Hippocraticae interpretacione usi, tribuamus. Absit porro, ut, falsa GALENI, (z) AETILI, (a) DIOSCORIDIS, (b) CAPIVACCII, (c) & BONETI, (d) opinione, vel opinatione potius, capti, adductique, credamus, uenenum, ualde exitiosum, in trunco cantharidum, praesentissimum autem ueneni huius remedium, in aliis pedibusque earum, haerere. Quemadmodum uero excutandus DIOSCORIDES, (e) qui, relata referens, non ipsum et pedes alasque hunc in finem commendat, sed eadem ab aliis commendari, indicat, ita maxime culpandus, eoque grauius accusandus, GALENVS, quo certius & melius, idem, exemplis & experimentis, quae allegat, permotus, irridens prae- fertim ac perstringens (f) medicum, iam truncum cantharidum, abiectis alii, pedibus & capite, iam integras cantharides, funesto adhibentem successu, contrarium scire ac perspicere potuit. Eadem principiis, eadem salia, idem sulphur, eadem omnium copia, & acrimonia, in capite, alii, ac pedibus cantharidum, deprehenduntur, quae earundem trun-

D 2

CO

- (z) Oper. ed. cit. Tom. I. part. 2. lib. 2. de antid. cap. 10. p. 445. Τοῦ κανθαρίδων τὰ πτυέα καὶ τὸς πόδες σὺν μείζοι τείχεσι, ἐπεκτείνει διάδ. (a) Librorum Medic. Venetiis, in folio, 1534. Graece ed. lib. 13. cap. 49. (b) Oper. ed. cit. Parabol. lib. 2. cap. 152. p. 123. (c) Practica, Opera Beyeri, in 4to, Francofurti, 1594. ed. lib. 3. cap. 31. p. 758. (d) Mercurio Comptitalis in folio, Geneuae, 1682. ed. lib. 8. §. 13. cautel. 2. p. 368. (e) I. c. Φασὶ δὲ τίνες, οἵ τι πτυέα καὶ τὸς πόδες τῶν κανθαρίδων πόρφυρα εἰ γλυκῖς, ἀπτφρόγκησις ἴσου. (F) Galenus, Oper. ed. cit. Tom. 2. Part. 5. lib. de diacta in acutis, p. 116.

co inhaerent. Absit hinc eriam, ut, MERCVRIALIS (g) assensa, nondum comprobata, amplectentes, asseramus: uenenum, in extremitatibus cantharidum subsistens, penetrantius ac perniciosius esse ueneno, quo truncus est imbutus. Quae uero ratio, quae causa, qua commotus HIPPOCRA-TES, (h) remotis cantharidum alis, pedibus, ac capite, sola corpora in usum uocauit? Commendauit omnino Cous no-ster cantharides, separatis extremitatibus, congruo liquore, quales, uinum, aqua, mel, soluendas, solutas cum maxima circumspetione exhibendas. Praescripsit sane Diuus Se-nex cantharides, ac, ut extremae earum partes auferantur, non ex eo, quod MERCVRIALIS, (i) modo adductus, allegat, fundamento, praecepit. Nec ratio, quam BORRICHIVS, (k) Hippocratis mentem enodaturus, suppeditat, adaequata aplausuque digna uidetur; Borrichio quippe persuasum est, quod Paren's medicinae doctissimus, licet non uiderit spicula, a se uisa, quibus cantharides instructae sint, quasi diui-natione, diuino praeditus ingenio ac iudicio, haec aduer-tens, caput, alasque, omnibus fere spinis defitutas, & hinc inertes, repudiarit. Enim uero, diuinatio illa absone prou-fus & ridicula censenda, cum, ab HIPPOCRATE, (l) & pe-des, aculeis, uti testatur BORRICHIVS, (m) refertissimi, re-iiciantur. Existimari potius, si conjecturae, quam, diuinatione Borrichiana, Coo Nostro afficta, ueriorem ac cer-tiorem iudico, locus est, quod exinde Hippocrates extre-mas cantharidum partes a reliquo separari corpore, quia eadem solidiores, duriores, & compactiores, difficulter fol-uuntur, solutionique resistentes, sua asperitate, si deglutian-tur, uaria grauiaque mala afferre possent.

X. Sal uero uolatile oleosum acerrimum, stimulandi,  
excitandi.

(g) Lib. de uenenatis morbis, ac uenenis, cap. 14. (h) Oper. ed. cit.  
Sect. 4. lib. de ratione, uisit. in acutis, p. 406. (i) l. c. (k) Aet.  
Haffi. Vol. 5. no. 89. p. 216. & sequa. (l) l. c. (m) l. c.

excitandi, penetrandi & resoluendi viribus insigne, quo, non truncus modo, sed quaevis etiam reliqua cantharidum partes, scatent, minime certa saltem usia, certaque viscera, renes nempe, uescicam urinariam, instrumenta genitalia, uel ut uenenum, laedendo, uel ut remedium, opitulando, respicit, sed idem, more aliorum salium acrium, in quascunque, quibus applicatur, atque insinuat, partes, solida fortius irritando, irritatorum motu, atque in fluida actionem, promouendo, agit. Actionis uero, quam saepe diuersissimam obseruamus, discrepantia, discrepantisque, qui cantharidum usum sequitur, effectus, ratio, tum numero, copiae & praeparationi horum insectorum, liquoribusque, quibus soluuntur, & exhibentur, tum multiplici hominum, maxime, siue solidas fluidasque corporis partes, siue uarium uictum, uiraeque genus, & alia plura, species, a se inuicem differentium, constitutioni tribuenda sunt. Fortior & uehementior est cantharidum, in puluerem redactarum, ac uino, uel spiritu vini solutarum, operatio, quam si easdem, iuscule pingui, uel lacte, dilutas, & temperatas, usurpamus. Caantharidibus ipsis, in substantia adhibitis, tuitius & mitius est sal uolatile, ex dictis muscis destillatione proleatum. Minor huius salis uis est, si unum duntaxat, alterumue, maior, si plura grana, exhibeas. Praestantius & utilius, sed minus uehementis, remedium obtinebis, si, ex instituto Glauberiano, quod LUDOVICI (n) imitatus fuit, & quod ex eodem adducit BONETVS, (o) cantharides affuso nitri spiritu soluas, solutum coles, colatum oleo tartari praecipites, praecipitatum puluerem aqua eluas, purges, purgatum siccus, siccatum in morbis, a serosarum impuritate.

D 3

tum

(n) Operibus, studio & opera Michaelis, in 4to, Ao. 1712. Francofurti ad Moenum, edit. obs. 34. p. 690. & sequ. (o) Medicina Septentrionali Collatitia, in folio, Ao. 1684. Genevae, edit. Tom. I. lib. 3. Sect. 33. cap. I. p. 871.

tum collunie ac motus languore prognatis, ad unum, alterumue granum, in iuscule pingui, uel alio simili liquore, adhibeas. Hoc igitur per se, ut certissimum, patet, omnibusque peritis medicis est in confessio, cantharides, & remedia, ex iisdem parata, fortiora esse stimulantia, stimulando uarios effectus, iam salutares, iam noxios producentia. Vti uero a prudentis officio medici abhorret, ad fortiora & periculosiora medicamenta configere, ubi leniora ac tutiora sufficiunt, ita gentini partes medici minus tuerit, qui, mitiora, causaeque morbi imparia, adhibendo, opportunum medendi tempus, quod praecipiti auolat cursu, negligit, neglecta sufficiente ac tempestiu, tempestiu suscipienda, materiae peccantis, mora ac diuinitate magis corruptiae, correctione, & euacuatione, neglectis, quae successivae pereunt, uiribus, ad felicem promtamque morbi mendam necessariis. Medicus itaque doctus, mentem recti conscientiam conseruaturus, in cantharidum, & auxiliorum, ex his uario modo confectorum, usu, nec temerarius, nimium audax, & praeceps, neque timidus, & tardus sit, ac, non tam, quo morbo affligatur aegrotus, nec solum, quae pars, in qua sentina mali haeret, afficiatur, sed etiam, ac potissimum, quae adsit causa, quae ac qualis causae origo, quis uniuersi corporis omniumque partium solidarum ac fluidarum status, omnibus uestigiis indager, examinet, & sedulo perpendat. Nam, cum talia remedia, quorum vires iam exposuimus partim, parim ulterius enodare studemus, fortius irritando solida, solidorumque motum augendo, accelerando, operentur, eadem nesciunt in siccioribus, quibus nimius nimisque concitatus solidorum, frequentiori oscillatione agitatorum, motus, & succorum, biliis falsisque alkalini copia depravatorum, tenuiras, & acrimonia, imminentem praesagiunt, uel iam praesentem crearunt molestiam, adhibenda, uel praescribenda sunt, sed in iis saltet, qui, ex neruorum, & uasorum, sero succisique uiscidis repletorum, & relaxatorum, inertia, & flacciditate,

ciditate, pertinacibus morbis laborant, locum habent. Huiusmodi, in quaen medicamenta, rite parata, congruis liquoribus soluta, diluta, correcta, exigua prorsus portione, in illis usurpanda sunt, quibus nimia abundantis seri ac molesta pituitae copia oneri est, adeo eosdem onerans, ut ex solidorum, maxime flaccidientium, & fere inertium redditorum, languore, non mala saltene ingravida grauissima, sed repentinae quoque mortis periculum instet. Nempe, ut rem, Germanis, ex Germanorum proverbio, uerbis, clariorem reddam, ac distinctius exprimam: *Dergleichen Arzeney-Mittel seynd nur bey Erz phlegmatischen Personen dienlich, die voll Rötz und Wasser stecken, und davon als wie ausgestopfte Würste, strezen, steif und gleichsam unbeweglich seynd.*

XI. Huiusmodi homines, morbis, ex tali, cuius modo iniecta mentio, causa, ac constitutione, laborantes, decumbentes, commemorata remedia multum iuuare, adiuuare, malisque illis medendis conuenire, docet natura causae, affectuumque, hanc comitantium, cum indole & uiribus horum medicamentorum collata; probat idem ac confirmat felix eorum in iisdem operatio, exoptatusque operationis promiae successus. Documento & testimonio quoque esse posse sunt aquosa, oleosa, pinguis, lac, mel, & alia demulcentia, ac lubricantia, quibus noxiae & inimicæ cantharidum, praepostere ac remere adhibitarum, uires, omnium optime infringi, atque impediri, malaque, & incommoda, hinc imminentia, uel auerti, uel, si iam adsintr, citissime, modo tempestive, largaque copia, ingerantur, denuo tolli possunt. Exemplo, relatu ac notaru dignissimo, idem RIEDLINVS (p) demonstrat, recensens, se ex ore medici doctissimi & humanissimi accepisse, quod idem, praescriptis aliquando diuerisis medicamentis, quae aegrotorum, in loco hospitali publico,

(p) Lineis medicis, in quo, Augustae Vindelicorum, edit. Anni 1697. mensis Februarii, obl. 19. p. 115. ad 117.

blico, pauperibus & peregrinis infirmis recipiendis destinato, dicato, degentium, saluti succurrere debebant, inter alia, foeminae, artuum dolore, ac lotii reddendi difficultate laboranti, dimidiam millepedum praeparatorum drachmam commendaturus, tantum cantharidum praeparatarum prescripsit. Cum uero erroris, errore praecepitis memoriae, laboribus & meditationibus distractae, admissi, recordaretur, statim famulam illum, cui medicamenta conficienda, distribuenda, commiserat, acit, quaerens ex eodem, an puluis ille, dictæ exhibendus foeminae, iam sit paratus? Non paratus modo, regerit ille, sed iam quoque propinatus ac deglutitus est. His praeter modum exterritus, terroreque perculsus, ut, quicquid damni ac detrimenti inde metuendum esset, auerteretur, uberiorem olei amygdalarum dulcium recentis, recenter expressi, portionem, & deinceps accommodatas emulsiones, per duos dies, tam prospero salutarique effec-<sup>t</sup>u adhibendas curat, ut, praeter leuem, quem inter medendum aduertebat, ardorem, nihil quicquam mali, senserit aegrota, quin postea integre cum sanitate in gratiam redierit. Dum haec euoluo, lego, & perquiro, duo praeiudicia, iudicium tollentia, ac genuinae virium, quae in cantharidibus resident, explicationi infesta, mihi occurunt, de quibus, sine praeiudicio excutiendis, occupatus, sensa & cogitata mentis ingenuo eloquar, & explicabo. Alterum est eorum, qui, minus adaequatam de ueneno, cantharidibus tributo, sententiam ferentes, arbitrantur: idem, soli uesicae urinariae, non aliis peraeque partibus, inimicum infensumque esse; alterum ad eos pertinet, qui certam ac specificam cantharidibus uirtutem imminutae superfluaque lotii secretioni & excretioni medendi, calculosque, renibus & uesicae urinariae inhaerentes, comminuendi, resoluendi, expurgandi, adscribunt. Non GALENV S (q) fal-

(q) Oper. ed. cit. Tom. I. Part. 2. lib. I. de compos. remed. secun-

Saltem, multique antiquorum medicorum, Galeni occoecatorum auctoritate, coeco eundem obsequio fecuti sunt, sed magnus quoque recentiorum est numerus, eandem sententiam acriter defendantium, inter quos, quod mireris, BONERTVS, (r) ET TMVLLERVS, (s) WEDELIVS, (t) BOECLERVVS, (u) ut innumeros alios racceam, eminent. Nullum sane est dubium, salia acria, quibus cantharides abundant, in fiscioribus, alcalinorum salium bilisque excessu & acrimonia refertis; fortius irritando uescicam urinariam, frequentes inflammationis, erosionis, mihius cruenti, summaeque, qualiorum cum dolore & ardore guttatim redditur, difficultatis, & ipsis tandem mortis, nisi tempestiva praesentissima que ope succurratur, auctores esse. Idem peraeque, eodem, quo cantharides, modo, alia remedia acria perficiunt. Idem frequenter in illis, quorum sanguis salibus alcalinis scatet, obseruamus. Idem saepissime contingit aegrotis, ex allegata causa febribus continua laborantibus. His iam addas licet plures & ubique obuias historias & obseruationes, abunde probantes, restantes: quod a cantharidibus, ram externe applicatis, quam interne assuntis, eadem omnia, quae iam enumerauimus, mala, euenerint. Haec omnino bene se habent, nihil in his inuenimus, de quo dubitemus, uel quod refutemus. Tantum uero abest, ut rationibus, argumentis, & exemplis, modo allaris, demonstretur specifica ueneni, uescicam urinariam duntaxat laudentis, destruentis, quod cantharidibus inesse credunt, potentia, ut

E potius

dum genera, mox ab initio p. 312. Τέτοι γε τὸ σκάμμα δηλῶ, τὰς τὰυτα λέγονται εἰς τοῦτον ἀπέτρεψεν Φιλοπάτων δύναμιν, ὡς ἀγνέοι, ώστε μὴ τὰς θελαττήτις λαγῳδία, μόνον τὰς πάστας ἐν τῷ σώματι μορίον, ἀνθεμίου πνίγματος, κύστιν δὲ μόνην υπὸ τῶν κανθαρίδων. (r) Mercur. Comptalit. ed. cit. §. 13. p. 368. & lib. 19. §. 18. p. 831. (s) Oper. cura & studio Westphali, in folio, Francfurti ad Moenum, 1696 & 1697; ed. Part. 2. Colleg. Pract. cap. I. p. 4. (t) Amoenit. Mater. med. lib. 2. Sect. 2. cap. I. §. 10. p. 317. (u) Animadvers. ad Cynostiram mater. med. Hermanni, ed. cit. Part. 2. p. 57.

potius sana ratio, cum quotidiano usu in consilium adhibita, contrarium nos doceat. Experimentis vero & exemplis, nostrae sententiae corroborandae convenientibus, sufficientibus, praemittenda explicatio causae, ob quam, cantharides, frequentius usicam urinariam, quam alias partes, aliaque uiscera, & receptacula, afficiant, perdant. In sale uolarili oleoso, eoque acerrimo, consistit omnis cantharidum uirtus, tam salutaris, quam exitiofa. Salia uero non agunt, nisi soluta; soluendis iisdem necessarii sunt, ac seruunt, accommodati liquores. Vnde, si humores congrui, uel deficiant, uel excedant, iisque, uel vires cantharidum praesentes augent, uel iisdem aduersentur, aliaque, quae operationem impediunt, uel ei remoras in iiciunt, adsintr obstacula, effectus omnino uenius eiusdemque remedii, ac ueneni, in qua cunque exseratur parte, diuersus ac discrepans erit. Confer igitur, haec modo dicta, monitaque, cum partium, canalem alimentorum componentium, structura, laxitate, ac laeuitate, eaque, inter se collata ac comparata, ad humorum crassorum, pituitae, quam ueteres uitream dicebant, similium, uentriculi atque intestinorum paries, obducendo, defendantium, copiam, ac limphae, quae, in his uisceribus separata, de acido maximam partem participat, indolem, applica, in promptu erit ratio, tum impeditae prorsus, tum languidioris cantharidum operationis, quam eadem in canale alimentorum praestant, & perficiunt. Hic enim, non spicula saltem salsum acrium, copia pituitae obruta, & inuoluta, sed acidi quoque salis, quo liquor uentriculi atque intestinorum in multis gaudet, ministerio, correcta, obtusa, nullum, uel leuissimum plane, praefentibus his, quas adduximus, circumstantiis, incommodum, aut detrimentum, in canale alimentorum excitant. Vides idem hic eueneire, quod haud raro in morborum curatione obseruamus, ita dictum tartarum emeticum, aliaque generosiora eiusdem farinae medicamenta, uomitum prolienci, prolecto, fordes & cruditates, uentriculo molestas, expurgandi ergo, prae-

praescribentes, exhibentes. Nonne talia remedia, allegatae constitutionis ac naturae hominibus propinata, per sepe omnī effectu & fructu desituuntur, adeo inertia ignauaque, ut ne naufragio quidem, uomendique conatum, aliudque simile incommodum creent, creantia deinceps uarios, qui totam massam sanguineam uisceraque afficiunt, affectus.

XII. Cognitis iam, perspectisque, quae in uentriculo & intestinis promtæ cantharidum operationi resistunt, impedimentis, nunc quoque eruenda, & indicanda, quae eandem in urinaria uestica promouent, subtilia. Salia cantharidum, torrente sanguinis iam absorpta, ac diuisa, ad dictum lotii receptaculum deferuntur, delata soluuntur, soluta cum lotio coniunguntur, majorique acrimonia instruuntur, acuuntur, eo liberius & uehementius in eandem partem agentia, quo minor renitendi uis hic deprehenditur, uti aliis locis scriptisque, (x) clarius & liberius explicau. Nam, parum liquoris roscidi & gelatinosi, quo interior uesticae urinariae substantia oblinitur, defenditur, adeo, eidem ab huiusmodi iniuriis, quales inferunt canthrides, defendendis, abarcendis, non sufficientis. Spiculis proinde alcalini cantharidum salis asperis lotio solutis, solutione exasperatis, & in partem neruofam, fereque nudam, qualis uestica urinaria, adactis, impulsis, uehemens contingit fibram moticum irritatio, irritatarum contractio, contractarum repentina, ex stimulo impresso, & constanti, constanter & perpetuo durante, restitutio, ac murua perpetuaque spiculorum salinorum in fibras uesticae urinariae neruofas & musculosas, harumque in spicula salina, actio, eo usque, nisi praesenti remedio tempestive sistatur, tollatur, perseverans, donec tandem, excitata inflammatione, erosione, sanguinis fluxu, aliquaque grauioribus malis, mortem afferat. Ne uero, his inductus, tibi persuadeas, canthrides, & quae ex iisdem parantur, medicamenta, sem-

E 2 per,

(x) Toxicolog. lib. I. cap. 27. p. 27. ad 30. & Notis ad Lindestolpe librum de Vehenis, cap. 4. thef. 8. p. 137. not. m.

per, ac solum, uesicae urinariae adeo inimica & exitiosa prorsus esse, aliis aliisque, quae in medium iam afferenda, argumentis, & experimentis, demonstrabimus. Non prouocabo ad Vngarorum, ultra fluuium Tibiscum habitantium, experimenta, a quibus, decem cantharides, sine ullo, quod hinc sequi solet, detrimento, deuorari, deuoratasque fuisse, testantur medici. (y) Sufficiunt ac satisfaciunt nobis historiae & exempla, a BARTHOLINO (z), & TIMAEO A GULDENKLEE (a) suppeditata, quibus dilucide constat, cantharides, in tardiore, parciore, & impedita lotii secrezione & excretione, aliisque morbis, a seri excessu solidorumque flacciditate ortis, felici successu, sine ulla labie ac laesione, uesicae urinariae illata, adhibitas fuisse. Quo igitur praeiudicium de cantharidum ueneno, uesicae duntaxat infenso, ex animo tuo radicitus euellamus, nunc quoque, quae detrimenta eadem aliis partibus induxerint, adductis probandum erit exemplis. A cantharidum tinctura, uenae infecta, caput quam maxime affectum fuisse, BAGLIVIUS (b) indicat, & historiis confirmat. De Vincentio Grema, insigni chirurgo, refert BRASSAVOLA, (c) quod, adhibito rhabarbaro, in eo mortario, in quo prius cantharides contusae comminutaeque fuerunt, in puluerem redacto, partium ab ore usque ad anum erosionem, grauibus stipatam incommodis, expertus fuerit. Itulum, hominem robustum, & succi plenum, allegat SCHENCKIVS, (d) qui, deglurito puluere, ex satyris, pipere longo, & cantharidibus, parato, haud leuibus uentris tormentibus, & uomitu, per diem noctemque durante, afflictus fuit, tandem, auctis

(y) Vid. A. N. C. Dec. I. A. I. obs. 133. (z) Cent. 5. hist. 82.  
 (a) lib. 4. cap. 5. obs. 15. Vid. Ballonius, lib. I. consil. 52. (b)  
 Oper. edit. cit. Dissert. de Vesicant. usu & abusu, cap. I. exper. I. &  
 2. p. 647. & 648. (c) Comment. ad Aphorismos Hippocratis, lib.  
 2. aphor. 17. (d) Observatiōnibus medicis rarioribus, in folio,  
 Lugduni, Ao. 1644, ed. lib. 7. obseru. 35. p. 846.

auctis uentriculi uniuersique abdominis doloribus, & cum magna anxietate iunctis, die abhinc tertio obiens. Quod fal uolatile cantharidum, tanta penetrandi erodendique facultate & acrimonie pollet, ut in lingua libantium ulcusula pariat, nec aliter ruto assumi queat, quam liquoribus quibusdam dilorum, aut accuratissime opiatis commixtum, aliisque remediorum molliorum formis temperatum, antecedentibus, (e) ex MOSE CHARA, (f) iam adduximus. Non uentriculi saltem dolores usum cantharidum exceperunt, sed idem quoque, aperto cadasere, una cum uestica urinaria, exulceratus fuit inventus, uti BONETVS (g) notauit. Huius loci quoque est nobilis apud SALMVTVM,(h) qui, puluere cantharidum, ad excitandam uenerem, ut nouae nuptiae satisfaceret, abusus, altero statim a nupsiis die, paraplegia, uti dicitur, extinctus fuit. Quid porro innunt grauissima mala, cantharidibus, iuscculo additis, ac deglutitis, succedentia, nempe punctiones, uniuersum corpus uellicantes, molestus in ore sapor, cedrinam referens picem, mentis alienatio, animi deliquium, & vertigo, quae demum, teste LANGIO, (i) varia incommoda, urinam excernendam respicientia, se uti sunt? His plures aliae observationes, idem, quod innuimus, euincentes, addi possent; addemus saltem his illud, quod frequenter, multi medici, quaeuis oscitanter agentes, in historiis morborum, ex cantharidum abuso ortorum, prioribus, quae aegrotos misere afflixerunt, malis omisis, altoque sepultis silentio, posteriorum saltem, quale hic, mixtus cruentus, summa que mingendi difficultas, in fine euenientium, mentionem

E 3

faciant,

(e) Cap. 7. p. 21. (f) Pharmacopoea Regia Chymica, ed. cit. Tom. 2. lib. 2. cap. 14. p. 191. (g) Anatomia Practica, Geneuae, in folio, 1679. ed. Tom. 2. lib. 3. Sect. 24. §. 3. p. 1206. (h) Observat. cum Conringii Praefat. & Capellei libro de Pestte, in 4to, Brunfuerge, 1648 ed. Cent. 3. obl. 23. p. 122. (i) Epist. med. ed. cit. lib. 1. ep. 47. p. 231.

faciant, illisque omnem culpam tribuant. His demum & hoc addendum, quod neglecta cadaverum, huiusmodi uenenis interemtorum, sectio, necessario, uerami mortis causam, in uiscerum laefione absconditam, indagandi & detegendi ergo, suscipienda, inutilibus disceptationibus occasione praebeat. Dolendum hinc quam maxime, quod multa, seiu factaque utilissima, optima multarum controversiarum auxilia, una cum demortuis, morti, perpetuas scilicet obliuioni, terrae mandata, mandentur, perfaci ne-gotio, anatomici ministerio cultri in lucem protrahenda, ac dehinc ad salutaris artis incrementum, hominum salutem & emolumentum transferenda, applicanda.

XIII. His praecepsis ac consiliis praecipue opus habemus, alterum, quod attigimus iam, praeiudicium, iudicii, quo maxime eget medicus, expers, ex hominum credulorum, cantharidibus, specificas certasque suppressam lotii secretionem & excretionem restituendis, calculum renum & vesicae comminuendi, uires, insitas esse, credentium, animis euulsuri, extirpati. Tempus chartamque perderem, nec charta tempusque sufficeret, si omnes recensere uellem medicos, quibus persuasissimum est, in pertinaciore lotii excernendi suppressione, ad cantharides, ut sacram anchoram, configuendum esse. Vnicum, reliquos silentio transiens, BOERHAAVIVM (k) adducam, qui cantharides in illam remediiorum stimulantium classem refert, quae, renum imprimis uasa stimulando, lotii secretionem & excretionem promouent. Vti uero idem, cantharidibus, uirtutem, renum uasa imprimis stimulantem, tribuendo, se suspectum reddere uidetur, ita se peraeque, tum suspicione, tum errore aios, exfoluit, libere & ingenue, plurimis cautelis, monitis, consiliis, ac praecepsis praemissis, & subiunctis, indicando,

arque

(k) Tractatu de uiribus medicamentorum, Parisiis, in 8uo, 1726. ed.  
Part. 3. cap. 14. no. 3. & 5. p. 260.

arque inculcando: quod diuretica, uti dicuntur, uariis & multiplicibus, quae secretionem & excretionem lotii impediunt, causis congrua esse debeant. Quomodo uero canthrides, ac remedia, ex iisdem parata, tota tam diuersis causis, quibus lotii secretio & excretio supprimitur, imminuitur, retardatur, depravatur, paria, ne dicam, accommodata, semper esse possunt. Quale tibi emolumentum a cantharidibus promittis, si corpus siccus & tabe aridum, pituitae, uasis renum inherantis, culpa, impeditam lotii secretionem, & quae ab eadem dependet, excretionem, patiatur? Pessima hic sunt, canthrides, uenena, non exasperatorum saltem morborum, sed ipsius mortis, austores. Decet hic, Doctore & Duce BOERHAAVIO, (1) ad decocta, emulsiones, & olea, ex parietaria, malua, mercuriali, althaea, oiliuis, aliasque, uirtute laxandi & emolliendi notis, probatis, parata, eaque, tum ore assumenta, tum clysmatum forma iniicienda, confugere. Canthrides contra, exigua praesertim remediorum, ex iis confectionum, & probe dilutorum, portio, si, languente solidorum, maxime flaccidorum, motu, totum corpus, sero refertum, turget, lotiique secretio, uel imminuta, uel prorsus suppressa sit, locum habent. Eadem uero denuo exulare debent, ut exitiosissima, prorsus proscribenda, damnanda, uenena, si, praesente uehem entiore fanguinis, salibus ac ribus referri, commotione, non totum modo corpus ardente crucietur febre, sed nimium etiam contractis, quae renum uesicaeque urinariae partes constituant, fibris, ac uasis, difficilior ac tardior reddatur lotii excretio. Tali quippe remedio, febris augetur causa, eaque austra, omnia, que eandem comitantur, mala, deteriora euadunt, nouaque antiquis infesto iunguntur vinculo & sociate. Eadem, & grauiora adhuc, incommoda, & detrimenta, a cantharidum usu expectanda, si, renibus, inflammatione affectis, ulcere erosis, calcuto obsefisis, & obstru-

(1) Lib. Part. & cap. cit. p. 257. & 258.

obstructis, eadem, de qua restituenda laboramus, impedita sit secretio. Quid enim magis inflammationem auget, quam concitator & effector humorum morus, motorum ad partem obstructam & inflamatam affluxus, affluentium attritus, & agitatio? Quid autem his omnibus perficiendis sale cantharidum uolatili aptius, aut praestans? Praefstat hic, quibusuis acribus & uolatilibus repudiatis, temperantibus & diluentibus effectoriorem sanguinis motum sedare, eiusque abundantiam, secta uena, uti praeceperit HIPPOCRATES, (m) minuere. Ulcera renum, si sint in culpa, ulcus, non profundius modo, sed malignius quoque reddent canthrides. Quid in calculo, renum uasa obstruendo, premendo, comprimendo, lotii separationem impediens, tibi a cantharidum usu promittes? Hic ante omnia sedulo expendere decet, an uerus, comparatus & maior iam adsit calculus, aut, an arenulae saltē, sabulumue, renibus inherentia, peccent? Deinceps, constitutionis quoque, quam in aegroto deprehendis, habenda ratio. Nam, si de arenularum, in renibus commorantium, praesentia certus sis, earumque protrusio, & excretio, ob fibrarum, sero abundante relaxatarum, inertiam, & languorem, langueat, tum omnino parum salis cantharidum, therebinthinae Venetae, uel oleo amygdalarum dulcium sociati, exhiberi potest. Vti uero exoptatus huic experimento successus in tali casu non deerit, ita sinistro prorsus euentu idem experimentum in fisciore, qui renes sabulo obfessos habet, institues. Cum enim in iisdem, a salium acreum copia, arenularum ipsorumque calculorum generatio sit arcessenda, hinc facile quouis, quid boni a cantharidum usu sit sperandum, cognoscere potest. Perspiciemus omnino euidentissime, uera certaque esse, quae obseruauit & annotauit STEINIVS, (n) remedia nempe, quae ad

prae-

(m) Sect. 6. aphor. 36. Δυσεγίη φλεβοτομίη λύει τάπειν δι της οὐσίας.

(n) Lithographia Curiosa; occasione diuersorum, in corpore Ser-

praecauendam & abarcendam calculorum generationem commendantur, eadem saepius promouere, & accelerare. Cantharidum itaque usus, in calculorum compactorum, & maiorum, renibus, ureteribus ac uesticacae urinariae inhaerentium, curatione, eo magis, ut periculosisimus, fugiens, quo evidentius, & certius, tum sana ratio, tum plura exempla, nos idem docent. Vel soluendo, vel atterendo, calculus uerus ac solidus, frangendus, fractus communendus, communitus consumendus, ac, fabuli forma, expellendus est. Quomodo uero soluetur calculus renum, uel uesticacae? acri, regeris, qui ex cantharidibus paratur, liquore. Ast, confer, quaeſo, uires liquoris soluentis, corpori duriori soluendo impares, cum calculi solidi duritie, & natura. Concedamus etiam, tinturae cantharidum, uirtutem, soluendis calculis sufficientem, inesse. Ast, qua ratione haec tintura in calculos faltem ager, non agens simul in renum uesticacae partes? Nam, cum calculi, renibus, ac uesticacae urinaria, firmiores, solidiores, & hinc soluti difficultiores sint, certe, prius renes, cum omnibus partibus, lotii secretioni atque excretioni destinatis, dissoluentur, quam calculus compactus, in his partibus nidulans, soluatur. Si solutio non procedit, atteri calculum, putas. Atteritur, dicens, attritus diuiditur, diuisus in minores partes, seu arenulas, excernitur. In optimo sane statu deploratae aegrorum, calculus laborantium, res essent, si haec, tam pronte operando, ac loquendo, succederent. Plures quippe & longe grauiores difficultates huic sententiae obſtant. Qua arte, quo artificio, indica mihi, indica, quaeſo, calculus, cantharidum usu, atteri potest, non attritis partibus mollieribus, quarum complexu coeretur ac continetur. Considera etiam atque etiam, &c, circumſpectis rebus omnibus, rationibusque subdatis, in animo tecum uersa, & loquere, quod canthrides,

F

uel

---

nissimae Principis Barutho-Brandenburgicae, V. Non. Octobris, A.D.  
M.DCCII. defunctae, post obitum dissecto, repertorum calciplo-  
rum, in quo, Baruthi, 1703. ed. §. 19. p. 19. & 20.

uel remedia, ex cantharidibus parata, calculum attritura, attritum eiectura, renum egeant ministerio, ita, ut per renes, salibus cantharidum ad frequentiorem ac fortiorem motum concitatos, in calculum agant, nec aliter agere queant. Contemplare nunc porro, atque accuratiore mentis trutina examina, quod salina cantharidum spicula, musculosis & nervosis renum fibris infixa, easdem ad crebriorem & uehemimentiorem sollicitent contractionem, qua, non acria saltet cantharidum salia, sed ipsa quoque renum uasa, neruique, in calculos adiguntur, adacta, maius, cui superando non sufficiunt, impedimentum, actioni, fortius agendo, resistens, experuntur, & hinc celerrime resilunt, in pristinum restituta situm. His meditationibus hoc adhuc iunge ponderandum, quod inter corpus atterens, atque atterendum, iusta, si firmatatem, soliditatem ac duritatem spectes, debeat adesse proportionem. Vide igitur, & perpende, quae, inter calculum atterendum, & renes, calculis atterendis seruituros, adsit proportio? Optimum, mones, & praestantissimum, in hac applicatione omisiisti, neglexisti; auxilium nempe, & remedium, quod, scopo atterendi calculos, praesentissimum, praebent canthrides, quarum ministerio renes id praestant, quod praefare alias, earundem ope defituti, nequirent. Sed, periti officio medici haud responderet, ueneno uenenum acuendo, interitum accelerare; non opus est remedio acri, renes erodente, absumente; idem, sine his remedii, soli perficiunt calculi, saepeque perfecerunt. Hoc unicum adhuc, ut ad deliberationem adhibeas, te rogatum volumus, mente, quaeso, uolue, & cogira, quod salinae cantharidum particulae, calculorum attritioni ac divisioni inferuiturae, eadem, imo maiori plane ui, & potentia, in renes, minus quippe resistentes, quam in calculos, summa renitendi facultate praeditos, agant; renum quippe partibus, ut molioribus, acria cantharidum filia facilius insinuantur, insinuanda difficultime calculo compasto, quae, si etiam eidem insinuentur, tantum abest, ut his atteratur calculus, ut potius hinc idem rigidior ac firmior reddatur. Acria, inquam, cantha-

cantharidum salia, renum fibris uasisque insinuata, crebriores harum parvium contractiones, contractarum restitutions, excitando, duplcem renibus iniuriam inferunt, quarum altera, primaque, a fortiore stimulo, cantharidibus impurando, altera, a calculo, cui, stimuli, iterum iterumque repetiti, uehementia, frequentius impingunt, impingentes laeduntur, repetenda. Dum autem renes, acri cantharidum sale perpetuo lacestis, perpetuo hispidis rigidisque calculorum partibus impingunt, non calculi atteruntur, ac diuiduntur, sed renum inflammatio, erosio, sanguinis profusio, & post plura grauiaque mala, quae misera aegrotos ratione cruciant, acerba & uiolenta mo's generatur. Generarunt saepe canthrides, in tali rerum statu imprudenter adhibitae, mortem, infensissimum generis humani hostem, nobis, uix tum natis, insidiantem, infidiasque nouas uitae nostrarae, iam iam finiendae, struentem, tormentibus nouis, sine tormentis, iure, iniustiae fundamento, adhibendis, quae per canthrides patiuntur, excogitatis. Idem probant tot funesti casus, tot detestanda experientia, per mortes aegrotantium instituta, tot deploranda exempla, nunquam probanda, nunquam laudanda. De Morlero, consule regio, refert THEVAR-TVS, (o) quod urinæ suppressione laborans, uehementissimis primum exercitus diureticis, haustis tandem, quae potui additæ erant, cantharidibus, grauissima & horrenda mala, atrociora morte, mortis beneficio finita, expertus fuit. Virum diuitem nouit BACCIUS, (p) superpressa lotii excretione laborantem, qui, quatuor circiter granis cantharidum, in pollinem redactis, & aliquoties quinta aquae uitæ essentia, ut vocatur, lotis, ac uino Graeco exhibitis, post tertiam horam misere cruciatus interiit. Monachi, cui Iulius Caesar Casserius Placentinus, urinam ciendi scopo, canthrides, conseruae capillorum ueneris sociatas, exhibuit, BONETVS (q) meminit, qui, doloribus uentriculi & re-

(o) Nota 13. in Confitut. hyemalem anni 1575. Ballonii Epidem. & Ephemer. p. 166. (p) In Prolegomenis uenenorum ac antidotorum, p. 23. (q) Sepulchreto, seu Anatom. Pract. ed. cit. Tom. 2. l. 3. §. 24. §. 3. p. 1206.

gionis pubis correptus, teria die periiit, in quo, secto cadauere, ureteris sinistri, a calculo, illi impacto obstructio, renisque dextri defecetus, ut uerae certaeque morbi, adeo grauis, caufae, obſeruata & deprehensa fuerunt.

XIV. Cum tam manifesta, atque exitiosa, & grauia sint tormenta, ac detrimenta, quae in praesenti similique statu cantharides renibus inferunt, omnibus prudentibus talia experimenta maxime exosa erunt, ex hoc quoque fundamento damnanda, detestanda, quia interdum calculi, per longius temporis spatium, in renibus, sine notabili incommodo, comorantur, qui, stimulantium impetu, in ureteres protrusi, acerbissimos cruciatus pariunt, cruciantes ad morrem usque. In Principis corpore, scribit ANTONIUS de POZZIS, (r) post mortem aperto, praeter alias partes corruptas, inuenitus ren dexter mirae magnitudinis, maior capite puelli duorum annorum, ponderans libras duas cum semisse, cuius centro inhaerebat calculus, uncias tres & dimidiam pendens, ren uero sinister ad minimum centum parvus lapillis erat refertus. Sed, quod mirum est, & non satis mirari potest, toto uitiae tempore nunquam de renum doloribus, calculis, urinis fabulosis, aut difficulter, uel diminute, fluentibus, conquestus fuit, multo minus, ad ingens renis dextri augmentum, femur dextrum torporem est perpeſsum. Hic quiete, & temperantia in cibo potuque, opus est; nihil certe, si calculus renum tantae sit magnitudinis, ut uretem transire nequeat, ualeat ars salutaris, nihil quoque prodest chirurgia, multo minus acria remedia, qualia, cantharides, conueniunt. Vnus calculus, inquit FERNELIUS, (s) si maior, inaequalis, ac scaber, atrocissimi causa doloris saepe existit; hic enim, dum per angustum ureterem deuoluitur, hunc magnui dilatans, atque dilacerans, per quam immaniter excruciat. In iis, qui iam pridem renum doloribus, a calculo ortis, erant affueti, usque adeo dilatatum ureterem aliquando comperimus, ut in eum maior digitus immitti posset;

per

(r) Ephemerid. Naturae Curios. Dec. 1. Ao. 4. & 5. obl. 29. Simile exemplum, idem, ibidem, obl. 32. afferit. (s) Oper. Venetiis, in 4to, 1566. edit. Patholog. lib. 6. cap. 12. p. 377.

per hunc mediocres calculi sine molestia excidebant, qui olim, nonnisi summo cruciatu, procidissent; qui uero, aut nondum, aut certe raro, & leuiter, renum dolore, a calculis dependente, tentati sunt, minimo calculo maxime affliguntur. Quo maior uero calculus, in ureterem protrusus, quo maior, qua prorruditur, uis, & impetus, eo acerbior, qui cruciat, ac torquet, oritur, dolor. Eadem mala passus fuit aegrotus apud R V Y S C H I V M, (t) qui, ex hac, quam allegauimus, causa, impedita urinae secrezione, uehementissimis uen- tris crurumque doloribus, & uomitu materiae nigrlicantis, correptus, uitam cum morte commutauit, in cuius cadaue- re aperto, ren dexter, duobus obfessis calculis, ren uero sinistri monstrosae magnitudinis, ac ureter, ex eodem pro- diens, calculo, magnitudine & forma oliuam minorem ae- quante, cuius superficies innumerabilibus calculis & arenulis septa & obducta erat, obstructus, valde dilatatus, & superius aqueo humore repletus, inferius uero naturali rubicundior & inflammatus, inuenta sunt. Haud maior quidem calcu- lus, sed maior ureteris fuit dilatatio, quam citatus describit R V Y S C H I V S; (u) a calculo enim nucis auellanae magni- tudine, infimam ureteris dextri partem, supra insertio- nem in uescam, obstruente, obthurante, adeo a purulenta, quam continebat, materia, idem distentus fuit, ut pintam ad minimum contineret. Quid mirum, si misera mulier, tantis a longo tempore tormentibus, & cruciatibus tam im- manibus, uexata, torta, multoties mortem appetierit ante, quam finem uitae desideratissimum inueniret. Inuenisset forte eundem promptius & citius, vocato in auxilium medi- co, qui, praescriptis cantharidibus, omnia deteriora red- dendo, ac cruciarus cruciatibus cumulando, breuiorem, ast acerbiorum simul, mortis acerbioris procurasset terminum.

XV. Obiicitur uero nobis, quod uirtutem diureticam, eamque perpetuam, ac certam, cantharidibus denegando, o-

F 3 mnes

(t) Obseruat. Anatom. Chirurgic. Centuria, Amstelodami, in moi. 4to. Ao. 1691. ed. obs. 15. p. 20. ad 22. (u) Obs. Cent. & ed. cit. obs. 94. p. 119. ad 121.

mnes iisdem vires uideamur denegare. Nam, easdem, urinam ciendo, cire arque euacuare quasuis impuritates, quibus remotis, uniuerso corpori prospiciatur, arque ex eodem, serum abundans euacuetur, noto notius esse dicunt. Sufficiunt eadem, aliis remedii incassum adhibitus. Nullis remedii, scribit BARTHOLINVS, (x) seu externis, seu internis, etiam validissimis, ex arte & amicorum consilii prescriptis, potuit calculus suo logo depelli, uel lotium promoueri, nisi sola cantharidum infusione, a me descripta, qua hausta, ter cochlare unum uel alterum lotii emisit. Ait, attende, quae subiungit Bartholinus; sed, inquit, suppressa manxit urina, quia causa obstruens amoueri non potuit, nec calculus prope ureteris exitum sinistro reni impactus locum deserere uoluit. Huc quoque pertinet testimonium CAPIUACCII, (y) qui, ad promouendam lotii excretionem, & serum abundans, ac in uniuerso corpore, uel abdomine, stagnans, per eandem promotam, euacuandum, cantharides maximi facit. Ego, ait idem, ab omnibus desertos, cantharidum usu restitutos uidi. Enim uero, si easum consideremus, in quo cantharides Capiuaccius tantopere praedicat, idem antecedentibus (z) a nobis iam propositus & explicatus est. Vnde & hoc patet, quod in his a citato auctore non dissentiamus, eandem cum eodem fuentes sententiam, idemque cum eodem remedium, in seri excessu, & solidorum flacciditate, ut fortius stimulans, commendantes. Et hoc modo, si eadem partium solidarum & fluidarum adsit constitutio, eademque, quam adduximus, causa, cantharides in aliis etiam morbis adhiberi possunt. Nostrarum iam esset partium, de reliquis cantharidum uiribus, quae illis, in curandis morbis ueneris, deliriis, affectibus soporosis, &c. tribuantur, mentem nostram explicare, sed temporis & pagina rum angustia impediti idem differre tenemur, alia occasione promissam de cantharidibus, prudentiae & amentiae aucto-ribus, dissertationem communicaturi, cui alteram sociabili-  
mus, de Vesicatoriis, asyllo imprudentum medicorum.

(x) Epistol. Cent. 4. epist. 21. p. 93. (y) Pract. ed. cit. lib. 3. cap. 19. p. 689. (z) cap. 5. p. 11. ad 14.




4078

ULB Halle  
006 666 019

3







DE  
**CANTHARIDIBVS** 5.  
 PROSPERAE ADVERSAE QVE AVCTORI-  
 BVS VALET VDINIS

PRAESIDE  
**CHRISTIANO GOTTFRIED  
 STENTZELIO**

ARTIS SALVTARIS AC PHILOSOPHIAE DOCTORE  
 CHIRVRGIAE ET PATHOLOGIAE PROFESSORE  
 PVBLICO ORDINARIO

DIE IX. NOVEMBRIS. A.O. CIO IO CC XL

**PRO LICENTIA**  
 SVM MOS IN MEDICINA IMPETRANDI  
 HONORES ET PRIVILEGIA

DISPV TABIT

**IO. GEORGIVS HERRMANNVS**  
 MED. CANDIDATVS.



VITEMBERGAE  
 EX OFFICINA EICHSFELDIANA  
 ACADEMIAE A TYPIS.

